BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 M
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

69. b. 24
69
b
25

MONSTRORVM HISTORIA MEMORABILIS,

MONSTROSA HVMANORVM PARTVVM MIRACVLA, STVPENDIS CONFORMATIONVM FORMVLIS ab vtero materno enata, viuis exemplis, obſeruationibus, & picturis, referens.

Acceſſit Analogicum Argumentum

DE MONSTRIS BRVTIS.

SVPPLEMENTI LOCO AD OBSERVATIONES MEDICAS SCHENCKIANAS edita

à

IOANNE GEORGIO SCHENCKIO A GRAFENBERG FILIO, Philiatro, Hagenoenſium Alſatiæ Poliatro, Comitiſque Hanoenſis Phyſico Medico.



FRANCOFVRTI,

Ex Officina Typographica MATTHIÆ BECKERI, Impenſis viduæ Theodori de Bry, & duorum eius filiorum.

ANNO M. DC. IX.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC D. D. IOANNI AVGVSTO, COMITI PALATINO RHENI, BOIARIÆ DVCI, COMITI IN Veldentz &c. Principi & Dn. Suo Clementiſſimo.

HISTORIAM MONSTRORVM, multa admiratione dignam, plenam verò phyſicis exemplis in lucem profero: ILLVSTRISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME. Ludit ſane Naturæ Genius mirificè in conceptubus & conformationibus Animalium, hominis æque atque brutorum: & præter vernaculam imaginem, eam quæ primi Plaſmatis fuit, peregrinas ſæpè atque monſtroſas partium conformationes, admirandas certè icones & oculis inuiſas, imprimit. Infelix nempe Error quidam, ob luxuriantis materiæ copiam ſiue paupertatem, vel etiam indiſpoſitionem matricum intrinſecus; imò etiam, hauſto forinſecus ido-

lo atque imaginariæ impreſsionis nota, quæ per ſpiritus in interiora principiorum hypoſtaticorum delabitur, turpi vtique & abſurdo planeque inuerſo atque ſiniſtro molimine, interdum affingitur. Phyſica profectò hæc ſunt miracula, Monſtrorum nomine publicitus dicta; quotieſcunque videlicet ſecus conſuetam Naturæ legem & normam, ſecus naturalem conformationem & concorporationem in vtero materno effigiatam, peregrina quæpiam toti corpori vel eiusdem partibus atque appendicibus, Effigies & Character ſubſtantiæ eius, imprimitur. Huius generis Exempla rariſſima, ſtupenda, planè memorabilia, authenticis & fide dignis hominum obſeruationibus coaceruata titulo HISTORIÆ MONSTRORVM *impræſentiarum congeſſimus: & veluti ſupplementum ad Opus obſeruationum Paternum digeſſimus. Quâ in re, quæ viri doctiſſimi, in monſtroſis Hominũ & Brutorum Conformationibus, magno naturæ errore, nec ſine vitæ detrimento, perpetuo autem hominum deſpectu, præſenti verò multorum interitu, accidere compererunt; viuis tum exemplis tum iconibus, poſteritati retinentiſſimæ in admirationem conſcripſimus. Inter hæc, alibi naturæ luxuriem meritiſſimò culpet lector: quoties gemellos connatos, bicipites, quadrimanes, tripedes, quadrupedes, gigantes, & hermaphroditos conſpexerit: alibi verò eiusdem defitientis paupertiem redarguat, quoties pygmæos, acephalos, ſolipedes, vnimanos,*

manos, apodes, & ſi quos alios inaudiuerit: alibi denique, ne longior ſim, abſurdam totius corporis aut partium figuram damnauerit, cum tot peregrinos & turpes hominum conformationes, brutas & inhumanas, omnes profectò monſtroſas & memorabiles obſeruauerit, veluti anthropodæmones, homines beſtias, cornutos, homines vrſos, canes, porcos, ſimias, & belluas vel ipſis hominibus formidabiles. Nam & totam embryi hominis Maſſam in Lapidem & Saxum concreuiſſe res omnibus ſæculis inaudita fuerit, digniſſima vero quæ ad Poſteritatis memoriam perennem tranſmittatur. Imaginationis autem vel ſolius tanta vis eſt, vt & ipſa per potentem impreſſionem Imaginum altius infixarum, pertinacius hauſtarum ac conceptarum, intermedio ſpiritu mechanico opifice plaſtico, mirabiles figuras, formas, icones & imagines operetur: hinc tot & tot ſtigmata, næui natiui, characteriſmi vuarum, vini rubri, fructuum, carnium, imprimuntur; quarum rerum neque finis vllus neque vero modus vllus deprehendatur. Ut omittam reliquas occaſiones vel Aſtri influentis, vel Indiſpoſitionum quarumcunque impedimenta: quæ omnia luculentiſſimis Exemplis, quibus rectiſſime docemur, comprobamus & confirmamus.

Hanc vero DE MONSTRIS HISTORIAM, *Honori Virtuti Clementiæque Illuſtriſſ. Celſit. Tuæ Lubens merito inſcripſi, dedicaui, conſecraui. Ad quod faciendum, Duas*

(:) 3 prin-

principes cauſas habui, quarum pondus & momentum hûc me impulerunt. Prima ex his eſt, ſingularis illa Celſit. T. Virtus Heroica, Sapientia Prudentia domi foriſque cum conſilio adminiſtrata, arcana denique ſcientia Naturæ Mirabilium: quibus omnibus & longe pluribus Celſitudo Tua Floret hodieque non ſine inclita Laude & Prædicatione. Secunda: Vt Celſitudini Tuæ Animum meum in Cultu & Obſeruatione Clientem, luculento argumento publice probarem, ſtudia & officia mea inſcriberem, offerrem, commendarem. Quare vt hanc Nuncupationem Illuſtriſſ. Celſitudo Tua Clementiſſimo animo acceptet, maiorem in modum rogo. Sumus animorum Medicus qui in cœlis eſt, Illuſtriſſimam Celſitudinem Tuam in multos annos ſuperſtitem florentemque tueatur & ſeruet. Scripſi Hagenoâ Imperiali opido & Camera a. d. 12. Kal. Mart. ∞. IↃC. IX.

Illuſtriſſimæ CELSITVD. Tuæ
Cliens

IOAN. GEORGIVS SCHENCKIVS à Grafenberg Philiater, Hagenoenſium Alſatiæ Poliater, Comitiſque ab Hanavv Phyſicus Medicus.

MONSTRORVM HI-
STORIA.

ACEPHALI,
SEV MONSTRA HVMANA PRODIGIOSE ABSQVE Capitibvs in Lvcem edita.

ACEPHALOS SEXVS FOEMINEI, ſeu humanus partus monſtroſus ſine capite.

ANno Domini 1562. Calendis Nouembris, Villæfrancæ in Vaſconia, natum eſt monſtrum, fœmina acephalon: cuius imaginem à Fontano Agenenſi Medico, qui ſe id vidiſſe ſanctè affirmabat, acceptam mihi de monſtris cõmentationem paranti obtulit Ioannes Altinus Doctor Medicus. Pareus lib. 24. cap. 6. Quod ad iconem attinet, circa colli regionem tuber exprimit ſubacutum, auerſa corporis partibus ſingulis ſcapulis rudimenta quædam papillarum, ex ſpirali linea ductarum, apparent, ex quarum demiſſiore regione media roſtellum incuruum elephantis ꝓboſcidi haud abſimile exprimitur: quæ ſi inuicem conferantur, oculorũ, naſi, atque adeo faciei imaginem quandam præbent. Humeris ab vtraque parte, vel auribus vel oculis quid ſimile incumbere conſpicitur. Cætera muliebre corpus affabre compactum referunt: niſi quod vmbilicus paulo longius propendeat, & capite in vniuerſum careat. Atque hæc ex nuda icone deſcriptio.

MONSTRVM HVMANVM SINE capite natum aliud.

ANno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, infans Wittembergæ ſine capite natus. Conradus Lycoſthenes Chronologicus opere ſuo de prodigiis & oſtentis.

ACEPHALOS: HOMO SINE CApite natus, cui oculorum effigies in pectore expreſſa fuerit.

1.



Anno

ANno poſt natũ Chriſtũ ſupra milleſimũ quingenteſimo quinquageſimo quarto, in Miſnia infans natus eſt abſq; capite, oculorum effigie in capite expreſſa. Iobus Fincelius, de miraculis noſtri temporis.

MONSTROSVS INFANS MASCVLVS, cuius caput, & genuina facies præter alia monſtroſa tegumento carneo obuelata fuit.

2.

IN agro Mechelburgenſi Greuesmulen iſtiuſmodi cuius Iconem adponimus, monſtrum à Sartoris vxore, anno ſupra milleſimum quingẽteſimo ſeptuageſimo octauo, editum eſt. Infans fuit maſculus corpore integro probe compacto, niſi quod caput in eo ſupra modum à communi Naturæ lege aberrauerit. Fuit omnium primo infantis huius genuina facies tegumento quodam carneo, pulmonum alteriuſque obſcurę faciei formam præſeferente, obuelata. Quod ſi in faciem incumberet, oculi, os & naſus non conſpiciebantur, ſic vt minime conſtaret num ea ſubtus laterent: ſed os oculique concludebantur, naſus vero deprimebatur aliquantulum. Tegumento ſublato detectoque & ad ſuperiora tracto, caput facieſque pileum oblongum Turcicum vel Tiaram imitabatur. Carebat craneo caput, cæteriſque oſſibus, vnde coniectura fuit caruiſſe non minus cerebro. Auriculæ defuerant, regionem earum Turcico illo pileo occupante. Atque ſi fictitia & adulterina hæc facies, quam carneum tegumentum nominamus, à genuina infantis facie liberaretur, & huiuſmodi oblonga capitis conſtitutio adpareret, viſum eſt os immani hiatu aperiri & expandi in modum horrende clamantium. Infans deſtituebatur lingua eiuſdemque interior oris regio non aliter quam vel ſanguine vel coruſcante igne plena iudicabatur. Oculi patentes & patuli nullam pupillam continebant, ſed aſpectu formidabiles, interiori parte inſtar ſanguinis igniſque rubeſcebant, vnde intuentibus terribiles viſi ſunt. Naſus æmulabatur naſum ſimum canis fæmellæ. Præterea fuit collum inuſitatæ longitudinis & molle, adeo vt collo in rectum conſtituto caput retrorſum vel in dorſum vel antrorſum in pectus, vel ad alterutrum latus & omoplatam per inclinationem decumberet. Cæterum, quod non minus admiratione dignum cenſemus, fuit dextra manus in hoc monſtroſo fœtu ſemper expanſa, ſiniſtra vero clauſa, & veluti in pugnum contracta, quæ etiam adaperta, digitis ad contracturam pronis & in volam coeunti-

bus,nihilominus ſemper iterum clauderetur.Quod ad cæterorum membrorum, totiuſque reliqui corporis conformationem attinet, nihil occurrebat quod MONSTRI notam præſetulerit.Ex charta Doctoris Simonis Pauli,anno 1578.patria lingua publicata.

INFANS MONSTROSO ET HORribili capite hirſuto, canis vel cati ſimillimo.

3.

An.poſt natũ Chriſtũ milleſimo quingẽteſimo quinquageſimo ſexto, Baſileæ Rauracorũ puellus natus eſt crudeli aſpectu, corpore quidẽ ſatis bene cõpacto,ſed capite hirſuto,canem aut catum magis, vel ſimiam,quã hominem referente,vixit autem circiter horam dimidiam.Conradus Lycoſthenes Hiſtoriographus opere ſuo de prodig. & oſtentis.

MONSTRVM HVMANVM, PRODIgioſo capite,canem vel ſimiam referente.

Anno ſupra milleſimum quadringenteſimum decimum quartum mõſtrum habens caput caninum,& cætera membra ſicut homo,præſentatur Ludouico. Faſciculus temporum.

PARTVS

PARTVS MONSTROSVS, MON-ſtroſo & horrendo natus capite, &c.

4 4· 5



QVintò Calend. Septembris anni 1544. Argentinæ, nobilis Alſatiæ Metropolis, infans fœminei ſexus, horrendo, monſtroſo, atque in ſuperiori parte aperto plane capite, lato ore, bouinis oculis, naribus aquilinis natus. Lycoſthenes Chronic. de prodig. & oſtent.

INFANS CORNVTO CApite natus.

NAtus eſt puer cum corniculo in capite: non dolebat, nec quicquam obnoxii ex eo percipiebat: grandior vero factus puer, cornu quoq; creuit, quod omnino deponendum ex capite puer contendebat & à patre efflagitabat, ob id quod pueri illum cornutum appellabant: accerſito igitur chirurgo plus iuſto audace: primo partem ſuperiorem præcidit, ex qua inciſione nullum fere puer dolorem ſenſit: Chirurgus vero credens ita

A 3 euen-

euenturum ſi radicitus corniculum reſecuerit, opus aggreditur, ſed infelici ſucceſſu, breui enim, vel intra paucas horas puer obiit, nec mirandum, cum cornu illud prædurum in parte inferiori, conflatũ ex craneo & medullari Cerebri ſubſtantia eſſet. Amat. Luſit. Centur. 1. Curat. 17.

MONSTRVM CORNVTVM, ORE patulo, oculis craſſis ac prominentibus, abſq; collo, cæteris membris monſtroſe conſtitutis.

5.

ANno 1551. In Marchiæ villa Dammenwalde prope Witſtock, coloni cuiuſdam coniunx monſtrum huiuſmodi edidit. Infans toto corpore fuit ſpadiceo colore, capite cornuto, oculis craſſis, prominentibus abſque naſo, patulo ore, quod longitudine ſpithamæ diſtentum fuit, in cuius medio lingua candida eminuit, & quadrata, colli expers. Caput enim ſcapulis accreuit, corpus totum inflatum & rugoſum, brachia in lũbis hæſerunt, pedes longe tenuiſſimi. Ab vmbilico autem ſpecies longi inteſtini dependebat ad pedes. Iobus Fincelius de miraculis.

INFANS PRODIGIOSVS, *cornibus in capite poſitis.*

6.



ANno 1233.In Rathſtadio oppido in Alpibus Noricis,quas Taurum incola vocat,infans cornutus natus eſt,vagitus eius atque ploratus quatuordecim dies,quam ederetur,auditus. Lycoſth. Chronic. de prodig.& oſtent.

FOETVS EIVSMODI MONSTRO- *ſus alius,quinq; cornua ſibi aduerſa, & arietinis ſimilima in capite habens.*

APud ſub Alpinos in Quiero decem à Taurino miliaribus poſito oppidulo anno Domini 1578.die 17.Ianuarii ad octauam horam veſpertinam honeſta matrona fœtum peperit,cornua quinque ſibi aduerſa, & arietinis ſimilia capite gerentem: cui præterea à ſumma fronte ad occiput in dorſum fere totum pralongum carneum fruſtum pendebat, capitii mulie-

muliebris inſtar habens. Circa collum vero alia caro duplex aduoluebatur, tanquam collare ſubuculæ. Extrema vtriuſque manus digitorum vncos rapacium auium referebant, genua tanquam in poplitibus erant. Crus dextrum, pes item dexter rubro colore præfulgebant. Reliquũ corpus boetico erat colore, magno cum clamore in lucem prodiiſſe dicitur, quo ſic conſternatæ obſtetrices, & reliquæ mulieres clinicæ fuerunt, vt è veſtigio in fugam ſe ab ædibus puerperæ dederint. De eo monſtro cum ſubAlpinorum princeps reſciuiſſet, iuſſit id ad ſe adduci, nec dici poteſt, quam varia fuerint tum aulicorum de ipſo iudicia. Amb. Pareus libr. 24. cap. 2.

ROSTRIS ET ALIS ANSE-
rinis nati.

ANno 1012. tempore Henrici II. gemini nati in Saxonia roſtris & alis anſerinis occiſi ob aſpectus fœditatem. M. Weinreichius de Monſtris p. 56

FOETVS FACIE RANALI.

ANno Domini 1517. in Boſci Regis Paroecia, in Biera Sylua, via ad fontem Bellæaquæ natum eſt monſtrum facie ranali, viſum Ioanni Bellãgerio Machinariæ Regiæ Chirurgo coram Harmonii oppidi iuſtitiæ cuſtodibus, in primis Ioanne Bribono, eius loci Procuratore Regio. Pater vocabatur Amadæus Paruus, Mater Magdalena Sarbucata. Hæc febre diuexata mulierculæ cuiuſdam conſilio ranam viuam manus palmæ affixerat, tamdiu detinendã quoad immoreretur parti, eo habitu in viri amplexus venerat de nocte, & conceperat, eam Bellangerius, perſpicaci ingenio Vir, monſtroſæ deformitatis fœtus cauſam eſſe arbitrabatur. Ambroſius Pareus lib. 24. cap. 7. Operum ſuorum.

INFANS NATVS: CVI PRÆTER
*alia monſtroſa in vertice carnea maſſa: in ceruice vero
quiddam murinæ caudæ ſimile agnatum
cernebatur.*

7.

STetini anno 1554. accidit, vt infans in lucem editus nocte baptizaretur, qui diro modo corporis gi[illegible]atione, vociferationibus, & g[illegible]tibus varíis

variis aduerſatus eſt paſtori baptizaturo, vt terrorē omnibus adſtantibus incuteret. Tandem paſtor factis ad Deum ardentibus votis infantem baptizauit. Habuit ille in vertice maſſam carnis, imaginem præbens teſtudinis ruffæ, in ceruice caudam carnoſam habuit inſtar muris, ſed albeſcentem, qualis erat cutis ſine pilis, capite erat Therſitico, oculis extantibus. Iacobus Fincelius de miraculis noſtri temporis.

MONSTROSVS INFANS NATVS, habens in fronte & occipitio maſſam carnis.

8.



FRibergæ anno Domini poſt milleſimum quingenteſimo, quinquageſimo, infans natus eſt obſcæno vultu, qui in fronte & occipite maſſam carnoſam duram & prominentem habuit. Lycoſthenes Chronic. de prodig. & oſtent.

SINE OCVLIS ET NAſo nati.

PVeri ingenui Arimini ſine oculis & naſo nati. Lycoſthenes anno mũdi 3772. Chronic. de prodig. & oſtentis.

QVATVOR OCVLIS NATVM monſtrum.

ANno Domini 308. apud Daphnem amænum illud & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum, viſu relatuque horrendum, natum eſt Conſtãtii Imperatoris temporibus monſtrum infans ſcilicet ore gemino, dentibus cum binis, & barba, quatuor oculis, breuiſſimis duabus auriculis. Idem lib. prodig. & oſtent.

INFANS NATVS, SCISSIS ac apertis naribus.

9.

BAſileæ circa paſchatis feſtum anno 1556. infans adeo ſciſſis ac apertis naribus natus eſt, vt inde eius cerebrum facillime ſit conſpectum. Lycoſthenes.

PAR-

PARTVS MONSTROSVS, OCVlus & aur ribus carens, & naribus deſtitutus.

10.



IN Haſſia infans bene diſtinctis mēbris natus eſt, niſi ꝙ auribus in vniuersū careret, ſimiliter oculis ac narib. ac in facie ſolū os haberet. Lycoſt.

MONSTROSVS PVER NATVS HAgenoæ, ſubter naſo Ouini oris caruncula & lingula, ſiſſoq; ſuperiore labio inſignitus.

11.

ANno Chriſti ∞ Iɔ c.11 x.a.d.iduum Septem. poſt horam diei quintam haud difficili partu in lucem venit Hagenoæ Alſatiæ Puer Maſculus, abſolutus quidem toto corpore & vndequaque perfectus, niſi quod circa labii ſuperioris & naſi Interſtitium monſtroſa Caruncula ſiue Proboſcis illi agnata videbatur. Refercbat hæc Ouini oris & linguæ velut balantis ſubter labia exertæ Figuram: neque amplius occupabat ſuperioris labii ſpacium, quam naſus ipſe produceretur, reliquo eodem ſupe-

riore labello ad vtrumque latus interſecto & fiſſo. Vnde factum, vt Puellus eiulans ore diducto, hiantibusque labii ſuperioris alis, miram ſpectantibus faciem vultumque exhiberet. Cæterum naſum ipſum huic Carunculæ penitus connatum, & foraminibus conſuetis imperuium ſolidumq; depræhendimus, vt proinde aeri per nares attrahendo nulla via pateret, quemadmodum alimento inſuper hauriendo inſigni impedimento Caruncula iſthæc ſpectabatur. Animaduertimus autem expreſſe figuratam Lingulam veluti ouinam, in reliqua Carunculæ proboſcide manifeſte extantem: tametſi nihilominus vera & naturali Lingua oretenus minime deſtitueretur. Cauſam à Matre ſciſcitantes, deprehendimus eam ipſam multis iam annis capita ouina auerſatam, quæ in macellis exerta & prominente lingua vulgo conſpiciuntur: Eamque occaſionem faſtidii iam olim cepiſſe, ex quo maleficum & facinoroſum hominem publice vidit capite truncari, amputatumque caput linguam habuiſſe exertam. Vnde analogia facta, hanc effigiem memoria localis, (exemplarium & idearum retinentiſſima,) ad ouina capita balantia, domi frequentius exertis linguis conſpicienda, retulit. Quam deinceps imaginem nullo negotio Fœtui Mater per imaginationis impreſſionem affingere potuit. Etenim ex quo prægnans fuit mulier, capita ouina (tametſi odiſſet) emit & comedit. Superuixit puer, ex quo hæc ſcripſimus, eidemque Ioannis Iacobi nomen inditum in ſacro Fonte fuit. Hanc hiſtoriam Hagenoæ Alſatiæ obſeruauit Ioannes Georgius Schenckius, Medicus, Hagenoenſis R.P. Poliater.

AVRIBVS CARENS alius infans.

QVarto Decembris anno *1556.* Baſileæ infans natus eſt virilis ſexus carens auribus, quarum loco habuit duo tantum foramina, quæ tamen ita clauſa erant, vt nihil inde audire potuerit. Vixit autem puellus valetudinarius vſque menſem Auguſtum, in cuius principio multis doloribus obiit. Lycoſthenes.

HOMINES BRVTORVM Auriculis.

AVriculas inſtar brutorum in hominibus obſeruaui. Columbus Anat. libr

INFANS MONSTROSVS, AVRES leporinas habens.

12.

12



13



CRacouiæ mulier in ſuburbana villa, cui Nigræ nomen eſt, ad duodecimum Calen. Nouemb. anni 1494. monſtrum edidit, cætera quidem humana figura, ſed collo & auribus leporinis, & vno grandiore inteſtino totum ventrem occupante, diducto rictu ſpirans. Lycoſthen. Chron. de prodig. & oſtent.

Anno 1593. D. Michaelis feſto, Königsbergæ natus infans, virilis ſexus, aure leporina, cum Italico longiuſculo collari circa collum, necnon carnis portiuncula in capite, inſtar eius pileoli, quem noſtra lingua Barettlin vocant, barbaris piretum dicitur, quique iamolim virginibus nobilibus frequenti in vſu erat. Marchiæ auctor.

LABIO CVRTO NATA.

FAmiliariter mihi aliquandiu conuixit apud Hagenoenſes honeſta matrona, patritiæ gentis, cui à prima in vtero materno cõformatione

 labrum

labrum ſuperius tam breue & curtum fuerat, vt ſuperioribus dentibus tegendis minime ſufficeret, non ſine deformi aſpectu. Cuius ipſamet probe gnara, inter confabulandum, mira induſtria & civilitate coram aſtantibus aut aſſidentibus labium extendendo, dentibusque inducendo, vitium hoc naturæ, tam pulchre tantaque arte tegebat, vt non niſi ſtudioſe obſeruantes, facile falleret. Schenckius Senior.

FISSIS LABIIS NATI.

Aliquos vidimus non integris, ſed potius diſciſſis labiis natos, qui nõ parum in ſermone deficerent. Trincauella li. 5. c. 11.

MONSTRUM INFORME, COLlo carens, cui loco auriculæ brachium eminebat, cæteriſq; membris prodigioſe conformatis.

13.

IN die trium Regum Stetini monſtrum in ſuburbio natum eſt, tali forma. Capitis loco maſſa informis erat, mobilis vt exta ouilla. Loco vnius auriculæ brachium ſtabat, loco faciei cincinus ſimilis pilis felinis, & lupi piſcis oua, per quæ inferius lucebant ocelli, vitrei & renidentes, os contractiſſimo erat foramine, ſine labiis, naſus quoque minutiſſimus erat, abſq; collo. Alterum brachium è latere prominebat. Sed neque pectoris neque dorſi effigies aderat, præterquam quod lineola notabatur rachi, nullius erat ſexus, nec Androgynus. Cætera monſtrum, brachia & longi pedes continuo oſſe rigebant, ſine iuncturis, cubitis & poplitibus. Manus & imi pedes erant molles, & penduli tanquam bis fracti, ſimiles vnguibus curuis & aduncis lutræ. Mortuus editus eſt infans, quanquam viueret in aluo materna antequam ederetur in hanc lucem. Hoc monſtrũ deſcribit Iobus Fincelius de miraculis huius temporis.

PARTVS MONSTROSVS SINE COLlo, *& enormi toto capite.*

14.



SEptimo Idus Auguſti anno 1557 apud nos Baſileæ maſculus natus eſt, corpore ſatis quidem bene compacto, ſed ſine collo, monſtroſa plane facie, oculis inſolitæ magnitudinis quaſi in fronte ſitis, ac ſuperior capitis pars omnino deerat, in occipitio autem habebat foramen iuſtæ magnitudinis, ex quo ſanguis aliquantulum fluebat, vnde ſtatim poſtquam in lucem editus eſſet, diem ſuum obijt. Lycoſthenes.

IN RECENS NATO PVELLO, TVmor *ſarciminis inſtar dorſo agnatus viſus.*

NVper puellus natus eſt, elegans & viuidus, niſi quod in dorſo, paulo ſupra podicem tumorem ſarciminis inſtar adnatum habebat. Quo Chirurgi opera aperto: præter ſaniem & puris modicum nihil effluxit. Eodem

dem vero Medicorum quorundam conſilio in totum præciſo puer in quarto die extinctus eſt. CL. V. Thobias Cneulinus Auguſtinus Medicus de obſeruationibus ad D.Schenckium perſcriptis.

FOETVS MONSTROSI BICIPITES IN LVCEM EDITI.

PARTVS BICEPS, GEMINA FACIE, PEctore bino, & duobus capitibus.

NOtum eſt quam multa ſunt relata prodigia in veterum annalibus & hiſtoriis, quantumque admiranda. Sed vnum præcipue hoc loco repetendum exiſtimaui, præ cæteris, quæ vnquam ſcribantur, inſigne atq; monſtrificum. Traditum eſt in oppido quodam Emaus, Theodoſio Cæſare imperante, puerum natum fuiſſe, qui vmbilico tenus integer extaret: ſupernæ autem partes eiuſdem gemina facie apparebant, vt duo pectora, totidemque capita eſſent, ſuis partibus ac ſenſibus prædita. Nam & vna pars aliquando cibis & potione vtebatur, altera abſtinebat. Sic itidem in ſomno, quiete varie ac differenter ſe habebant, vt viciſſim luſitarent, & riſu, & lachrymis tenerentur, mutuisque plagis ſe cæderent, ac ſi diuerſis animis atque ingenio forent. Annis autem prope duobus vixerunt. Factum deinceps eſt, vt cum alter periret, qui ſuperfuit, quatriduo poſt ex agnata tabe putreſcens interiit. Quam rem Sigibertus in ſuis cōmentariis retulit, homo quidem diligens, atque vt illis temporibus, ſtudioſus magis quam eloquens. Quibus autem rationibus eiuſmodi portenta oriantur, Galenus & Ariſtoteles copioſe docent, vt aliorum ſentētias omittamus. Et affirmat quidem Ariſtoteles idcirco fieri monſtra in animantibus, quoniam plura ac diuerſa ſemina inter ſe cohæreſcunt, atq; confunduntur, aut cum forte materies exceſſus vel defectus extiterit. Petrus Crinitus lib.21.cap.8. de honeſta diſciplina.

MONSTRVM CAPITE ET SEXV DVplex, cæteris ſimplex.

CIrca annum milleſimum, centeſimum & decimum octauum, monſtrum quoddam Namuti natum eſt, biceps videlicet infantulus, tam ſexu

ſexu duplex, quam cæteris,ſimplex autem compage corporis. Lycoſthenes,ſuo prodigiorum libro.

INFANS BICEPS ALIVS.

ANno milleſimo,quadringenteſimo, octogeſimo ſeptimo, biceps infans Pataui natus eſt,in quo prẹter naturæ luxuriem nihil alioqui fœdum aſpectu. Idem in eodem de prodigiis & oſtentis opere Chronologico.

PARTVS BICEPS INVSITATÆ MAGNItudinis in lucem editus, cui ex humeris tertia ſurgebat manus.

15.

ÆDitum in patrii ſoli vico,cui Sarzano nomen eſt, magnitudinis inuſitatæ monſtrum. Digna res eſt viſa,quam libellis insererem, eo quidem procliuius,quoniam flagrante inteſtinis diſcordiis Italia, & intonante altius bellorum procella, quæ iam aliquot annis late vaſtitatem dedit, vice prodigii habitum, id eſt. Is vero infans fuit biceps,multa in eo mira.Primum quadrimeſtris magnitudo,membra omnia cum proceritate reſponſum habentia,abſoluta,amuſſitataque, facies vtraque ſimilitudinis prope indiſcretæ.In capitibus crines aliquanto longiores, ac nigricantes, inter vtrumque caput ex collimitio humerorum tertia ſurgebat manus, ſed quæ aures longitudine non excederet,nec integra viſebatur omnino. Reliquum corpus prorſum bene compactum, ac citra vllam maculæ fœditatem.Natus eſt quinto Idus Martias,anno nati Verbi, milleſimo,quingenteſimo quarto, ac decimo, poſtridie allatus Rhodigium eſt. Quia vero viſenda res erat,placuit ad Hiſpanum Ducem,qui in proximo vicaria Regis fungebatur poteſtate, adferri.Id vero vt citra putredinis timorem poſſet obiri, exenterare præmortuum neceſſe fuit. Inibi ergo mirum aliud,cor quidem ſimplex vt aſſolet,at iecur duplex ſicuti & lien.Nam in viſcere hoc quandoque viſam duplicationem, vel vno credimus Ariſtoteli;Et paulo poſt: Quod ad infantem attinet,illud amplius ſciendum,vnum ne an plura ſint per coagmentationem, quod monſtrificum prodit animal:iudicandum eſt ex principii ratione.Nam ſi cor pars eiuſmodi eſt,quod vnum cor habet,vnum animal eſt:quod duo, animal item duplex coalitum propter conceptuum coniunctionem.Lud.Cœlius lib.24.cap.3.

PVELLA CAPITE, ET
collo gemina nata.



16.







BIBLIOTECA NAZ ROMA VITT. EMANUELE

Medio-

Mediolani menſe Ianuario, vt Cardanus refert, nata eſt puella biceps, reliqua autem omnia vnum corpus referebāt, nam bina crura, bina brachia, vulva vna; ſed tamen cum Gabriel Cuneus Chirurgus diſſecuiſſet, primo quidem gulam interiorem (ſunt qui meri vocant) ac cum ea ventriculum invenit geminatum, ſed tamen in fundo coibant, ibi pylorus vnus, attamen ex eo inteſtina gemina exoriebantur, vt vterque ordo duplicatus eſſet, illorum, præterquam in recto: nam in illo rurſus in vnum coibant, ſicque ad anum finiebatur. Erant autem fœces in ambobus, pulmones gemini viſebantur, atque hi nulla ex parte in vnum coibant. Cor paulo altius quam in aliis eſſe ſolet, 1. literam græcam referens, bifidum ſcilicet, ſed tamen in vna ſede. An vterque ventriculus ſuperior in eo eſſet, haud explorauit. Iecur craſſum & valde oblongum, ſed abſque penulis ſeu additamentis, atque ideo informe: ſpina dorſi duplicata, diſtabatque vna ab altera digiti magnitudine, vnaquæque ſuo inſeruiens capiti, & vſque ad crus, quod ſibi in directo erat, ferebatur. Dentes inferiores, anteriores quatuor, ſuperiores autem duos tantum ſed magnos, verum inferioribus duriores, ac paulo ſolidiores, ſed tamen qui neque ipſi dentis exquiſitam præferrent duritiem habuit: renes duplicati, vterus & veſica minime. Orta eſt menſe nono, & abſoluta, ac etiam corpulenta. Verum in ipſo ortu ob errorem obtorto collo vnius ab obſtetrice, idem dies eademque hora fuit, qua tenebras mortis, & vitæ huius lucem experta eſt. Manifeſtum eſt igitur in his contingere, quod in fructibus. Duas tentauit natura creare puellas, in ipſo exortu principalium mēbrorum colliſa atque conſtricta ſunt omnia, præter caput, omnia igitur principalia præter cerebrum, in vnum coiuerunt, fuerunt tamen potentia duo, quæ autem poſterius creata ſunt, velut vterus, brachia & extrema, ab vno tantum principio, & tanquam in vno fœtu ſunt abſoluta. Hactenus Conradus Lycoſ. in Chronologicis ſuis.

Sexto Octobris Anni 1593. mane inter ſeptimam & octauam horām, in ditione Monaſterii Wolmerſtall, peperit vxor cuiuſdam cauponis filiolam bicipitem, quam mortuam Valent. Wager vivis coloribus depinxit. D. M. Ianſonius Doccomenſis Friſius in Tomo 2. Mercurii Gallobelgici libr. 7. pag. 54.

PVELLA BICEPS, GEMIna fœminea natura.

C Lælio, L.Domitio Coſſ.Puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina fœminea natura mortua nata.Iulius Obſequens.

Louanii anno milleſimo, quingenteſimo trigeſimo ſexto, Infans biceps natus.Cornel.Gemma lib.1.c.6. Coſmocrit.

MONSTRVM HVMANVM BICEPS brachiis mutilatis, pedibus ſimiæ, cauda vulpina.

17.

IN vico Zeitern, miliare à Bruxellæ diſtante, Epiſcopatus Spirenſis, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, die vigeſimo tertio Augusti faſtorum veterum, Prætoris vxor hunc, quem viuo agalmate tibi depinximus, admirabilem, & naturæ contrarium fœtum enixa eſt. Hęc ad diem D.Bartholomæo ſacrum geſtationis in vtero determinato curſu, rure domum veniens, angore partus & doloribus torquebatur: cadit in terram, atque extemplo citra communem naturæ conſuetudinem Epileptico paroxyſmo corripitur. Noctu circa vndecimam & duodecimam talem, quem ponimus, partum edidit: cumque integris continuis nouem horis crudeliſſima Epilepſiæ acceſſione detineretur, eadem nocte intra ſecundam & tertiam animam efflauit. Infans horrendum aſpectum præſeferens, biceps erat, capitibus Simiarum capita æmulantibus præditus. Pars corporis reliqua, proportione correſpondebat infantulo bene & ſufficienter compacto: exceptis brachiis, quæ mutila & manca videbantur. Pedes Simiarum pedes iurares, non hominis. Regione poſteriore in faſtigio clunium cauda vulpina cernebatur. Schenckius Filius.

CAPITE GEMINI, QVI AD IVſtam ætatem, quamuis monſtroſi, peruenerint.

18.

ANno milleſimo quingenteſimo, trigeſimo octauo, natus eſt quidã, & ad perfecti viri ſtaturam exercuit, capite & humeris tãtum geminus, ita vt caput alterum ante alterum retro eſſet, mira inter ſe ſimilitudine.

dine. Barbis etiam & oculis ſeſe referebant mutuo. Idem erat cibi appetitus, fames eadem, vox ſimillima, idem vxoris, quam habebat, & excernendi vtriſque capitibus erat deſiderium. Annum excedebat trigeſimum quãdo hunc videre contigit. Iacobus Rueff. lib. 5. c. 3. de conc. & generat. hominis.

MVLIER DVOBVS CAPITIBVS, *vno ſatis deformi.*

SImile quoque monſtrum in Bauaria, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo conſpeximus, erat autem mulier viginti ſex annorum, duobus capitibus, quorum tamen vnum ſatis deforme erat. Hæc dum mendici habitu oſtiatim victum quæreret, propter grauidas, dato viatico abire à finibus iuſſa eſt. Lycoſt. prodig. & oſtent. Chron.

MONSTRVM FOEMINEI SEXVS, *capitibus duobus, brachiis quatuor, pectore & ventre vno.*

ANte annos aliquot (nimirum anno milleſimo quadrageſimo octogeſimo nono, vt annotauit Cornelius Gemma) in ditione Werdenberga, monſtrum fœminei ſexus natum eſt, capitibus duobus, brachiis quatuor, pectore & ventre vno, pedibus duobus. Iacob. Rueff. li. 5. c. 3. de con. & generat. hominis.

BICEPS MONSTRVM, REFLE- *xis in dorſum capitibus.*

ANno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo fœtum vidit Haſſia editum 5. Idus Ianuarii, geminis capitibus, reflexis in dorſum, quorum ſeſe facies obuerſę inuicem minaci aſpexerunt vultu. Lycoſthen. in Chronicis ſuis.

INFANS BICEPS MASCVLVS,
collo duplici,corpore reliquo bene compacto.

19.



ANno milleſimo q̃ngẽteſimo quinquageſimo ſecũdo in HaſſiaGermaniæ haud ignobili, Witzẽhauſę tertio poſt feſtum triũ regũ die,infans maſculus biceps, collo duplici,duobus capitibus,ac corpore optime cum reliquis membris compacto natus eſt.Idem in opere commemorato.

Decimo tertio Calend. Sextilis, anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi tertii,in Miſniæ pago Zieheſt, non procul à Pirnah, natus eſt infans duobus capitibus, membris omnibus abſolutis.Idem ſæpius citato opere.


PARTVS BICEPS, GENITALIBVS *vtriuſq; ſexus, collo gemino, ſceleti & cadaueris formam præſeferens.*

20.

ANno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, die menſis Maii vigeſimo nono, qui fuit Dominica prima poſt diem Feſtum Sacroſanctæ Trinitati conſecratum, in vico Luſtnauw Ducatus Wirtébergenſis, diſtante non procul Tubinga, à parentibus plebeis & pauperculis, Patre Iacobo Haug Vinitore, & Matre Agneta partus monſtroſus, quem tibi delineatum proponimus, in lucem editus eſt. Cum circa diem feſtum Purificationis ſacratiſſimæ virginis Mariæ, vxor Vinitoris præfati vtero gereret, poſt ſedecim ſeptimanas à conceptione (multo inquã citius, quam terminus ad conſummatum partum requirat) puerperii dolores perpeſſa fœtum intermortuum abſque vitæ ſuæ periculo peperit & enixa eſt. Immaturus & monſtroſus hic fœtus, vtriuſque ſexus genitalia præferens, geminis capitibus, biniſque collis conſtabat, quorum vtrumque caput binas aures, oculos binos, os vnicum & naſum vnum obtinebat. Erat hoc monſtrum adſpicientibus formidandum & horribile, capita à Craniis defunctorum hominum non multum diſtabant, quorum ſingulæ frontes intermedio non aliter diuiſæ apparebant, ac ſi eſſent diſſciſſæ. Bina brachia, crura bina, vna cum paruulis manibus pedibuſque macris & in anguſtum contractis, vt ſolent eſſe huiuſmodi abortus, conſpiciebantur. Fuit hoc monſtrum Tubingæ à Medicis Celebris illius Academiæ lege Anatomica examinatum. Inueniebatur Cor duplex, pulmo duplex, duplex iecur. Capita internis ſuis partibus debite conſtantia viſa ſunt. In inferiore ventre, cum ſaltem conſtaret vnico, ventriculus ſimplex & vnicus neque inteſtina non gemina ſeſe offerebant. Color infantis monſtroſi extrorſum introrſumque eiuſmodi fuit, qualis communiter in abortubus conſpicitur, niſi quod circa pectus cœruleus ſpectaretur.

PRODIGIOSVS MASCVLVS BIceps, cui caput aliud Vmbilico exertum fuit.

21.



NAtus eſt infans (anno milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, ſecundum Lycoſthenem) & in virum excreuit, qui caput aliud vmbilico exereret, quod pro more alterius quoque cibum caperet. Iacobus Rueff. li. 5. cap. 3. de conceptione & generatione hominis. Quo anno Franciſcus primus Gallorum Rex fœdus cum Heluetiis iniuit, natum eſt in Germania monſtrum, cuius è medio ventre caput inſigne extabat, ad virilem ætatem peruenit, nec ſecus quam verum & ſummum monſtri illius caput, hoc monſtrificum, & tanquam applicitum nutriebatur. Ambroſius Pareus lib. 24. cap. 2.

* * *

PARTVS MONSTROSI IN BRACHIIS, CVBITIS ET MANVBVS, QVI VEL HORVNDEM numero, defectu, vel abundantia Prodigioſi extiterunt.

INFANTES QVADRVPEDES & quadrimanes.

T. Gracho, & M. Iuuentio Conſulibus, pueri quadrupedes & quadrimanes nati ſunt. Iulius Obſequens.

MONSTRVM INFANTIS HVMANUM, habens tres manus, & totidem pedes.

22.

P. Craſſo, & Q. Scæuola Coſſ. puer tribus manibus, totidemque pedibus natus. Idem.

PARTVS MONSTROSVS QVATVOR manibus, & totidem pedibus.

M. Marcello, P. Sulpitio Coſſ. Theani (alii Theatri) Sidicini puer cum quatuor manibus & totidem pedibus natus. Idem.

ALIVS INFANS MANIBVS TRIBVS & totidem pedibus.

VEnafri puer natus tribus manibus, totidemq; pedibus. Iacob. Reiff. libr. 5. de concept. & generat hominis, ex Romana, vt apparet, hiſtoria.

INFANS MASCVLVS QVADRIPES, & quadrumanus, auribus quatuor.

23.



Prope

PRope Eſſelingam Neccari, monſtrum natum eſt, infans videlicet vnico capite: quatuor aures, quatuor brachia, & totidem pedes habens. Lycoſt. lib. prodig. anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo octauo.

ALIVS EIVSMODI.

INfans natus eſt crura, brachiaque quaterna habens, vixitque quoad ex ſacro baptiſmi fonte leuatus eſt. Idem eodem opere, anno Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo nono.

PARTVS QVATERNIS PEDIBVS & totidem cruribus.

REfert Iouianus Pontanus anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono, die nono Ianuarii, viſum in Germania infantē maſculum, quaternis brachiis, & totidem cruribus. Pareus operum ſuorum lib. 24. cap. 2.

QVADRVPES, QVADRIMANVS.

QVo die Veneti & Genuenſes fœdus inierunt, natum eſt in Italia mōſtrum quaternis brachiis & pedibus, vnico vero capite præditum. Id ſacra baptiſmatis aqua luſtratum, aliquandiu poſt vixit. Iacobus Rueſius Chirurgus Heluetius ſibi ſimile viſum narrat, ſed quod maris & fœminæ inſuper genitalia haberet. Idem eodem lib. cap. 4.

TRIPES, TRIMANVS.

P. Africano, Lælio Coſſ. Amiterni puer tribus pedibus, vna manu natus. Idem.

BRACHIO VNICO NATVS.

C. Valerio, M. Herennio Coſſ. ancilla puerum vnimanum peperit. Iulius Obſequens.

SINE BRACHIIS, ET EX HIS *nonnulli ſine pedibus viſi.*

T. Gracho. M. Iuuentio Coſſ. Priueni puella ſine manu nata. Idem. In Piceno infans abſque manibus & pedibus natus. Lycoſth. libr. prodig. & oſtent. pag. 141. ex Romana hiſtoria nimirum.

Ex diminutione vidi virum, qui vſque hodie viuus eſt, & non fuerunt ei neque manus, neque pedes. Hali Rodoham Comment. ad libr. 3. Tech. Galeni Tex. 177.

SINE BRACHIIS NATI, QVI *vel ore, vel mento, vel pedibus, incredibili induſtria, quatus ſubtiliſſima opera, manuum vice, efficere potuerunt.*

NOn eſt à Dione prætermiſſum, inter munera Auguſto miſſa ab Indis, fuiſſe tigres Romæ tunc viſas primo: & adoleſcentulum ſine humeris, qui tamen pedibus manuum functionem obiret: namque arcum intendebat, ſagittas etiam excutiens. Cæſ. Antiq. lib. 4. cap. 12.

Vidimus mulierem ſine brachiis enatam, pedibus pro manibus ad nendi ſuendique artem habuiſſe. Alexander Benedictus libr. 1. c. 2. Anatomes.

Eandem nos quoq; vidimus in caſtro Amandino Alliſero, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nentem, ſuentem pedibus (manuum vice) cyathum vini apprehendentem, & bellantium more, pedibus arreptis baculis, tympanum belli manu pulſantem. Nicolaus Rocheus de morb. curand. c. 32.

Sine brachiis enatum vidi Hiſpanum, certe monſtra, quæ in natura rerum eſſent, omnia excedentem: pedibus enim citus admodum erat, vt cũ illis neret, ſeu acu expeditius pingeret, quam vel citiſſima mulier ambabus manibus, & arma bellica tam affabre tractaret, vt nemo miles agilitatem ipſius aſſequeretur, arcuque tam eſſet rectus, vt à ſcopo nunquam aberraret, & ſecuri quemuis vnico ictu infringeret, etiam craſſiuſculum trũcum. Georgius Pictorius Sermon. conuiuial. lib. 4.

Natus eſt infans, qui brachiis in vniuerſum careret, reliqua corporis forma rectiſſime habens. Pedes huius, cum ad vigeſimum annum ætatis perueniſſet, manuum officio fungi vidimus, accipiendo, ſecando, ori inferendo, nec non etiam alea & chartis ludendo. Quod & alter quidam ore & mento præſtare potuit.

FOEMINA BRACHIIS DESTITVTA, *nihilominus tamen induſtria pedibus.*

24.

EIuſdem etiam agilitatis mulier Francofordię ad Mœnum, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto viſa eſt, quæ manibus omnino carens, arrepto pede calamo, literas non tantum elegantiſſime pingere, ſed tractare colum, nere, numerare pecuniam, ac ſubtiliſſima quæque pedum digitis conficere potuit. Lycoſthenes lib. de prodig. & oſtent. anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo octauo.

Vidiſſe quendam memini me, qui cum brachiis omnino careret, dextro pede haſtam vibrabat, collimabatq; ſuebat veſtem, edebat, ſcribebat, in acum filum immittebat. Nec tanti miraculi defuturos teſtes ſpero, cum res publice ageretur. Cardanus lib. 17. de ſubtil.

Mutili hominis hiſtoriam iucundam ſimul, atque admirabilem narras. Qui brachiis careret, dextro pede haſtam vibraſſe. Veſtem ſuere ſolitum, ſcribere, edere, bibere, in acum filum immittere. Cuius rei teſtem te habiturum ſperare ſcribis. Næ tu diuinus vir es. Ecce me ſodes habeto. In Allobrogum prouincia eum ſpectauimus. Arbitror amplius quinquaginta millia hominum ſupereſſe, quibus ille miraculo fuit. Plus quoque quod de eo dicam habeo. Clauum caligarium in aſſerem malleo penitus adigebat, cerdonum more, quem dicto celerius cõuerſi mallei auriculis extrahebat. Antonius ei nomen fuit, Neapoli ſe ortum prædicabat. Iul. Cæſar Scaliger Exercit. 334. ad ſubtil. Card.

VIR BRACHIIS CARENS, IN*credibili tamen ſolertia humeris manuum opera pertractans.*

25.

PAucis ab hinc annis viſus eſt Lutetiæ vir quadragenarius, quadrato corpore, qui etſi brachiis careret, omnia tamen quæ manibus perfici ſolent, munia, haud infeliciter obibat. Humeri enim trunco & capite, colloque vibrato, ſecurim in palum oppoſitum, tam certo & valido ictu, quã manu quiuis alius vir eiaculabatur: aurigæ flagellum tanta vi diſtringebat,

vt aere validius percuſſo, ſonaret. Cæterum pedibus edebat, bibebat. Tandem latro & ſicarius deprehenſus, ex cruce ſtrangulatus rotæ affixus eſt.

Viſa etiam non ita pridem mulier Lutetiæ eſt, ſine brachiis, quæ nihilominus ſecabat, & plæraque alia, quaſi manus adeſſent, perficiebat. Pareus operum ſuorum lib. 24. c. 6.


Siue eundem, ſiue alium, à Parei deſcriptione, at eiuſdem certe ætatis, atque corporis conſtitutionis, Haganoæ, quo tempore eius Reip. Medicum Phyſicum agebamus, videre nobis contigit. Qui præter alia à Pareo recitata, me & aliis multis ſpectantibus, frondis fagineę ramum brachii craſſitie aquæ tum impoſitum, quæ æſtatis tempore conclauia ſuo virore exornare in hoſpitiis ſolet, gladii Heluetici capulo, mento humerorum vni appreſſo, comprehenſoq; vnico impulſu euaginato, & ſtringēte ictu etiam vno diſſecuit: miniſtro gladium, vagina adhuc, donec ab eodem educebatur, concluſum, continente. At quod de bipenni affirmat Paræus, eam ille noſter, ſimili modo quo gladium, apprehenſam, ad deſignatum & expeditum parieti tabulato ligneo locum & punctum, exacte impegit. Natione Heluetium prædicabant. Ioannes Schenckius Senior.

Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto Halæ Sueuorum, vir quidam nomine Thomas Schweicker (cuius effigiem tibi tranſmittimus) annum ætatis ſuæ quadrageſimum primum agens, ſupereſt, ſine brachiis natus. Qui quæ alii manibus ingenioſiſſima opera, eadem ille pedibus, incredibili prope ſolertia perficit. Cuius Iconem ad vivum ectypā, in argento, taleri numi magnitudine, fuſam, digitoque pedis calamum ſcriptorium ſuſtinentem, exprimentemq;, Ioannes Beringer, ſummi apud nos templi architectus, viſendam mihi exhibuit. Et præterea eiuſdem ſcripturam oſtendit, pedibus tam eleganter delineatam, emblematibuſque variis circa margines ornatam, vt vel peritiſſimos, qui vel in nobilioribus ciuitatibus ſcribendi munus publicum, atque vna quoque Arithmeticam practicam, tum per numeros, tum per calculos, profitentur, prouocare, imo longe ſuperare queat. Idem quoque admirabili induſtria, eadem quæ arcularii dedolando, ſculpendo, ſcindendo, forando, ſerrando, ingenioſiſſima efficere ſolent opera, velut columnulas, periſtylia, eiuſque generis alia, pedibus fœlici imitatione præſtat, adeo quidem, vt in eo iure quiſpiam brachia & manus deſiderare, velut ſuperuacanea, debeat minime. Idem Parens meus Schenckius.

ICON

ICON
THOMÆ SCHVVEICKERI, SI-
ne brachiis nati.

26.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SCHWEIC-

SCHWEICKERVS LOQVITVR.

DIeweil ich/ daß es Gott erbarm/
Hab weder Finger/Hend noch Arm/
Vnd mich alſo behelffen muß/
Schreib ich doch diß mit meinem Fuß.
Drumb frommer Chriſt dein Lebenlang
Sag Gott für dieſe Wolthat danck/
Daß du haſt ein geraden Leib/
Wie meinſt daß ich mein Zeit vertreib/
Das zeigt dir die Contrafactur.
Weil mich nun Gott vnd die Natur
Alſo erſchuff/hats mir doch geben/
Alles zuthun mit Füßen eben/
Eſſen vnd trincken vber Tiſch
Mit meinem Fuß ich bhend erwiſch/
Schreib/mahl/ſchnitz/bind Bücher ein/
Das Armbruſt kan ich brauchen fein/
Zehl gelt/vnd auff freundtlichs begeren/
Im Brettſpiel meins mans mich thu wehren.
Schenck ein/trinck auß/ die Kleider mein
Anleg ſelbſt/ſchneid ein Feder fein.

E P I-

EPIGRAMMA IN SCHVVEICKERI DEXTERITATEM CONSCRIPTVM.

Quod digitis alij præſtant, hoc præſtat id ipſum
Schvveickerus mira dexteritate pedum.
Is pede depingit decoratos Syrmate verſus,
Ille cibum pedibus carpit, & omne facit.
Hoc opus eſſe DEI *mirandum nemo negabit,*
Qui modo pectus habet quod ratione valet.

Subiungemus de eodem Viro, ſine brachiis nato, affinia quædam teſtimonia, præſertim doctiſſimi Camerarii, quod ſic habet:

Mira eſt prouidentia & Sollicitudo naturæ, quam creator omnium rerum, ei tanquam optimæ matri attribuit. Ea enim in animalibus membris diſtortis, vel mutilatis, aut debilitatis, vel etiam omnino deficientibus, plerumque aliis membris, præter ſuum officium ad quod deſtinata ſunt, tale robur & dexteritatem ex diuturna conſuetudine ſuppeditat, vt dicere aliquis poſſit, non in diſtinctione membrorum, ſed in continuo vſu perfectionem conſiſtere. Hac de re ſæpius cogitaui, cum eſſemus Comburgi, apud vere Nobilem & præſtantiſſimum virum, Dominum Eraſmum Neienſtetterum. Is enim cum nulla benignitatis erga nos prætermiſiſſet officia, iuſſit accerſi ex vicinis ſalinis Sueuicis Thomam Schweickerum, natum 31. annos, & quidem honeſtis parentibus. Quem licet mater ſua abſque brachiis enixa fuiſſet in lucem, omnia tamen munia manuum, pedum ſubſidio, ita exequebatur, vt quod in vno deſideraret, in altero ſibi compenſatum eſſe, affirmare non erubeſceret.

Nam cum in editiore loco, qui æquaret altitudinem tabulæ, in qua eſculenta appoſita erant conſediſſet, apprehenſo pedibus cultro, ſcindebat panem, & alios cibos, pedes ea poſtea, nec non & potum, veluti manus ori porrigebant. Peracto prandio pedibus pingebat nobis omnibus videntibus, tam elegantes latinas litteras ac germanicas, vt exempla earum, quaſi rem inſolitam nobiſcum ſumeremus. Poſtulantibus etiam nobis cultello parabat calamos ad ſcribendum aptiſſimos, quos poſtea nobis donabat. Cum eſſet ita occupatus, diligenter inſpexi formam pedum, quorum di-

giti erant ita oblongi & ad res tenendas apti, vt procul aſpicientibus manus (pallio enim ſuo verecunde admodum crura tegebat) viderentur. Hoc ſpectaculum ſane iucundum, & ante non viſum nobis fuit. Iuſſus etiam fuerat, paulo ante Cæſareæ Maieſtati diuo Maximiliano Secundo, cum Halam vrbem, ad comitia Spirenſia tranſiret, & Electoribus Palatinatus atque Saxoniæ, Ludouico & Auguſto ſe exhibere, quorum Maieſtas & Celſitudo, hanc mirandam naturæ compenſationem, non abſque munificentia, & cum admiratione ſpectauit. Hoc ipſum illuſtrauit elegantiſſimo hoc Epigrammate Doctor Ioannes Poſthius Medicus, & Poeta eximius.


Mira fides pedibus dextre facit omnia Schvveicker,
Cui natura parens brachia nulla dedit.
Namq; bibit pedibus, pedibus ſua fercula ſumit,
Voluit & his libros, præparat his calamos.
Quin & literulas pede tam bene pingere nouit,
Artificis ſuperet grammata ducta manu.
Maximus hoc Cæſar ſtupuit quondam Æmilianus,
Donaq; ſcribenti largus honeſta dedit:
Omnia namq; poteſt vigilans induſtria, quodq;
Natura ipſa negat, perficit ingenium.

Placuit & hoc conſcriptum Epigramma de eodem Schweickero, brachiis carente, adiungere, humanoque lectori Iconem ſcribentis communicare.

THOMAS SCHVVEICKERVS SINE BRACHIIS NATVS, LITERAS PINGENS PEDIBUS.

chiis natus, literas pingens pedibus.

27.



THomas Schvveickerus mirandæ ſortis homullus,
Quem ditem pietas ingeniumq́; facit:
Has ſine brachiolis vitales luminis auras
Adſpexit Sueui ſub vada lenta Nicri.
Ne natura tamen litem pateretur acerbam,
Robur ei tribuit fortibus in pedibus.
Quod dextris alii tractant, peraguntq́; ſiniſtris,
Ille miniſterio perficit omne pedum.
Nam bibit & ſcribit pedibus, comeditq́;, facitq́;
Singula. mireris, ſi videas hominem.
Optimus eſt calamus crena ſcriptoribus vnca
Quem mira adſtanti præparat arte tibi.

Hunc ſtupuit Cæſar Maxæmilianus,eiq;
Scribenti quondam largiter æra dedit.
Mirati Comites, admiratiq; Barones,
Mirandi nobis propoſuere modum.
Membro alij accedit ſi quid deceſſerit vni.
Hac hoc exemplo eſt maxima nacta fidem.
Quid non continuus natura perficit vſus?
Vidi hominem.bene ſit,quippe meretur, ei.

Cubito,manu,digitis & cruribus monſtroſus puer.

ANno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio vidi Lutetiæ ad D.Andreæ ædem,puerum nouem annos natum Parpauillæ pago,ſex à Guiſio oppido miliaribus,Petro Renardo,& matre Margretha genitum.Huic tantum duo digiti in dextra manu erant,brachium haud inuenuſte à ſummo humero ad cubitum vſque deformatum erat: at inde ad extremos digitos duos valde deforme viſebatur,cruribus carebat,quanquam à nate dextra,pedis imperfecta velut figura,quatuor tanquam digitis diſtincta,proferre ſe videbatur, à ſiniſtræ vero natis medio duo digiti proſiliebant, quorum vnus genitali virili haud erat abſimilis. Pareus operum ſuorum lib.24.cap.6. qui & iconem eius exhibet.

SINE MANIBVS NATI.

NAtos infantes vidimus,defectu membrorum,mutilos,manibus inquam carentes.Iac.Rueff.lib.5.de con.& gener.hominis.

INVERSIS MANIBVS ET PEDIbus nati.

NAti ſunt quidam retrouerſis manibus, & in obliquum tranſuerſis pedibus.Idem iam citato libro.

Infantis,qui à prima in vteri conformatione,ſitus materni vitio, pedibus manibuſque diſtentis euaſit,iconem exhibet Pareus operum ſuorum lib.23.c.9.

PVEL-

PVELLÆ CVIVSDAM MANVS *à natiuitate trunca & tuberoſa.*

PVellam vidi, non ignobilem, trunca ac tuberoſa manu, quam cum contrectandam mihi exhibuiſſent parentes, deprehendi digitorum contactu articulos, qui naturæ munere erupturi erant, intus conuolutos atque in ſe retortos, ita vt nullam digitorum effigiem præſeferrent, ſiquidem omnes membri huius partes, tam oſſiculorum ſeries & connexus, quibus manus complicari vel expādi ſolet, initio delituiſſe comperti ſunt, Stompen noſtri vocant. Ita errorem hunc, ac naturæ vitium inde contractum pronuntiari, quod ea vis ac facultas, quæ formationi fœtus inſiſtit, omnibuſque ſuis partibus conſummare hominem nititur, aliquo impedimento prohibita ſit, quo minus articulos potuerit perficere, atque in ſpecioſam, decentemque manus formam producere: cum enim mater ſplenis duritiei eſſet obnoxia, ac fœmellæ in id latus, nempe ſiniſtrum, declinent, ex affectu eius viſceris, cui partes illæ tanquam ſcopulo ac cautibus illiſæ incubuerunt, informem atque indecoram ſpeciem ſunt conſecuta. Leuin. Lemnius lib. 4. c. 7. de occultis nat. mirac.

***

MONSTRVM MANIBVS PEDIbusq; anſerinis, & capite enormi natum.

28.



IN Germania prope Lauffenburgum oppidum, in finibus Heluetiorum ad Rhenum fluuium ſitũ, natus eſt infans manibus ac pedibus anſerinis, horrendo capite. Lycoſthenes libro ſuo de prodig. & oſtentis, ſub anno 1274.

MONSTROSI HVMANI FOETVS, ſex digitos aut plures, minusve prodigioſe habentes.

VIdi digitum additum multoties. Haly Rodoham Comment. ad libr. 3. Tech. Galeni num. 177.

Sunt

Sunt in manibus pedibuſque παραφύσεις, id eſt, agnationes, vbi ſuperueniens adnaſcitur digitus, ratione materiæ exſuperantis. De qua re ſic Plinius: membra animalibus agnata inutilia ſunt, ſicut ſemper ſextus in homine digitus. Quod ex illo forſan Ariſtotelico videatur ſumptum, libro de generatione quarto: Quibus autem habere gemina contigit genitalia, alterum maris, alterum fœminæ, iis ſemper alterum rarum, alterum irritũ redditur. Ipſe vidi Bononiæ quendam de plebe inopem, ſenis in manu vtraque digitis; imo in pedibus quoque ſuperfluus digitus inter auricularem annularemque interſitus agnoſcebatur, magnitudine ad reliquorum reſponſum, mobilis præterea, & ad omnem vſum, vt aſſolet, accommodus. Manus inſigni erant latitudine: nihil præterea quod deceret minus. Hoc eo adnotaſſe libentius volui, vt ſciremus, decretorium non eſſe, agnata membra, inutilia haberi & irrita, qui παραφυόμενοι dicuntur, alios eſſe carnoſos omnino, alios oſſa habere, & vngues quandoque. Horum autem alii ex articulis prodeunt, à ſcythale alii. Sed hi prorſus ἀκίνητοι, hoc eſt, immobiles ſunt: cæteris mobilibus quandoque. Cœlius Antiq. Lect. 17. cap. 12.


Nati quidam abundantibus membrorum partibus, alter quidem ſingulis pedibus manibuſque digitos habens duodecim. Iacobus Rueff. de concept. & generat. hom. lib. 5.

Puer monſtroſus annorum circiter quindecim Arelatæ viſus, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, menſe Iulio, cui in vtroque pede ſeptem inerant digiti (pollex namque pede in vtroque duplex erat) & in vtraque manu digiti ſex. In ſiniſtra vero manu annularis & medius coniuncti abſque vllo interſtitio erant. Pedes vero admodum latos perinde atque manus puer habet. Franciſcus Valleriola lib. 4. obſeruat. 2.

PAR.

PARTVS MONSTROSVS MASCVLINVS, *cui brachia & pedes ob naturæ defectum non conueniebant.*

29 29. 30



IN pago Dirliſtorff ſexto die Decembris, qui D.Nicolao Epiſcopo ſacratus eſt, natus eſt puellus, corpore quidem bene compacto, cui tamen brachia, pedesque ob naturæ defectum non conueniebant. Dextra enim manus cum omnino deeſſet, eo loco, quo pollex eſſe ſolet, carnoſus tumor inſtar verticuli aut nucis paruæ eminebat. Siniſtræ autem manus pars dimidia, in tres tantum digitos, ſed plane coniunctos, vt quoque pedes in totidem digitos deſinebant. Educatus autem, non tantum cibum potumque monſtroſis manibus capere, ſed numerare pecuniam, ſubducere rationes, eaſdemque elegantiſſimis literarum characteribus rationum libro aſſignare potuit, quemadmodum alia omnia, quæ alias manuum auxilio ab hominibus fieri ſolent. Viuit adhuc Domini ſui liberalitate adiutus anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, quo hæc ſcribi-

ſcribimus, iam natus 60. annos, vidimus adhuc, ac obeſo corpore ſenex. Conradus Lycoſthenes libro de prodigiis & oſtentis anno Domini 1497.

In oppido quodam Franc. Orientalis Kittinga dicto, honeſtam matronam vidi, quæ ſenos habebat in manibus & pedibus digitos, totidemq́ue habentem digitos filiolum pepererat. Clariſſ. Vir D. Poſthius in ſuis obſeruationibus ad D. Schenckium tranſmiſſis.

M. Ioannes Halcher φιλίατρος heri retulit, hic ſtudioſum eſſe, qui indicem digitum manus ſiniſtrę circumferat in tres acies quidem diſtinctum, & vngue præpilatum: Cæterum vnciali mole altero compari digito minorem. D. Moccius de obſeru. propriis.

ICON

MONSTROSÆ MANVS CONSTITVtionis, digitorum duntaxat quatuor, quorum pollex inuſitatam longitudinem & proportionem præſeferebat.

30.

ANno ſuperiore cIↄIↄcvI. accitus ſum Ego cum duobus aliis Medicis, ad anatomen partus monſtroſi Pueri Maſculi, à Magiſtratu Hagenoenſi. Comperimus proinde fœtum ad aliquot dies ſuperuixiſſe, tandem interiiſſe: eumque alioqui abſolutum & integrum deprehendimus, niſi quod à prima in vtero conformatione vmbilicotenus Foramen patulum idque rotundum, ad interiora ventris aperto itinere pertingens, & quaſi pugione cōfoſſum, miſerabili certe ſpectaculo, obtinuerit. Quare quæ hauriebat alimenta, atque etiam excrementa, per idipſum naturale vulnus (quod magnitudinem denarii numi facile exæquabat) protinus effluebant. Adhæc corpuſculum ſecantes, inuenimus cæteris omnibus ſaluis, veſica deſtitutum, & ano imperforato ſolidoque in lucem veniſſe. Et vero horum omnium abditam cauſam inueſtigantibus, relatū nobis eſt, prægnantem fœminam perſecutione & impetu Mariti per diſtrictum gladium perterritam fuiſſe, & ſeſe ad euitandum Mariti imminens periculum pro ſaluatione in angulum domus conieciſſe. Quæ imaginatio matris in fœtum eidem facile notam enſis in ventrem adacti affingere potuit: atque membrorum hæc ipſa in angulo contractio & com-

preſſio ad defectum veſicæ & ſolidam ani conformationem occaſionem præbere. Hanc Hiſtoriam obſeruauit Hagenoę Alſatiæ Ioannes Georgius Schenckius Medicus, Hagenoenſium Poliater.

Manus hamata monſtroſa, gammarorum occaſione in materno vtero conformata, cuius hiſtoria exhibetur libro 5. Obſeruationum, operis recogniti. Tametſi nos iſthic effigiem negleximus. Schenckius Fil.

INFANS MONSTROSVS, VENtris Foramine vmbilicotenus inſignitus, & veſica deſtitutus, Hagenoæ Alſatiæ natus.

31.



MONSTROSI PARTVS CIRCA MEMBRA GENITALIA.

PVER MONSTROSVS MVLTIſariam, cui genitale membrum à vertice propendit.

ANno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo, puer Venetiis editus eſt, ore pluriuariam ſciſſo, & præter multa fœdiora relatu, genitale membrum habuit vertici agnatum, atque ob eam rem non placuit in apertum referre. Lycoſth. Chronic. de prodig. & oſtent.

PENE GEMINO VISVS QIDAM.

VIdimus Bononiæ in publicis diſſectionibus cadauer viri, qui duplicem habuit penem. D. D. Ioa. Iacobus Weckerus in ſuis Schenckio communicatis obſeruatio.

SINE MENTVLA NATVS INfans, ſed cum ſcroto & teſticulis.

ANte paucos dies miſellus infans natus apud nos eſt, cui membra circa Vmbilicum reſolutā herniam præſ:rebant: carebat membro virili: cuius loco foramen, quo vrinam profundebat, conſpiciebatur, ſcrotū ambobus teſticulis, vt in aliis conformatum viſebatur. Parentes Chirurgi opera vtuntur, at vix ſuperuicturum opinor. D. Thobias Cneulinus de ſuis transmiſſis obſeruationibus ad Parentem meum Schenckium.

VISI SVNT TRIBVS TEſticulis condonati.

BErgomi familia Coleonum illuſtris (Bartholomæo Coleono & fortitudine & fide apud Venetos clariſſimo inſignis, cuius equeſtrem ſtatuam Venetiis in area D. D. Ioannis & Pauli videre licet) hoc peculiare habere fertur, vt multi ex ea familia mares tres habeant teſticulos. Cui rei atteſtatur, vel ſaltem ſuſpicioni occaſionem dedit gentilitium familiæ ſymbolum, tres nigros continens teſticulos. Hinc prouerbium Italis vſitatiſſimum,

ſimum, Conglioni de Bergamo, de re monſtroſa & inaudita, non autem vt vulgus autumat, de homine ſtupido & obſcæno. Cæl.Rhod. lib.24. cap. 4. A.L. Franciſco Philelpho tres fuiſſe teſticulos proditum ſcio. Idem libr. 17. cap. 12. A. L.

Tertium teſticulum omnibus cuiuſdam familiæ ſuperare nouimus. Fernelius lib.1. cap.8. Patholog.

Obſeruauimus in Anatome viri cuiuſdam tres teſticulos. Quidam ex aduerſ. Ioan. Dryandri.

Videre nobis contigit in puero typographi filio tertium teſticulum. Nec deſunt, qui aſſerant, quibuſdam familiis peculiare eſſe, vt tertium habeant teſticulum. Scholiographi ad c.62. de morb. intern. Hollerii.

GENITALIBVS VTRIVSque ſexus carens natus quidam.

VIdi qui natus eſt, & non habebat neque vulvam, neque priapum, neque teſticulos: & erat in forma ſua, & in ſuis moribus ſecundum aſſimilationem caſtrati, & erat ei foramen minimum, ex quo mingebat tantum. Hali Rhodoham Comment. ad lib.3. Galeni art. medic. text. 77.

Quibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris alterum fœminæ, iis ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum ſubinde deliteſcat: quoniam præter naturam eſt: agnatum enim eſt modo abſceſſus, nam & abſceſſus abſumunt aliquid nutrimenti, quamuis poſt geniti ſint, & præter naturam. Ariſtoteles lib. 4. ca. 4. de generat. animal.

Gignuntur & vtriuſque ſexus, quos hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis. Plin. lib.7. ca.3. nat. hiſtoriæ. Supra Naſamonas confineſque illis Machlyas, Androgynos eſſe vtriuſque naturæ, inter ſe vicibus coeuntes, Calliphanes tradit. Ariſtoteles adiicit, dextram mammam iis virilem, læuam muliebrem eſſe. Idem lib.7. ca.2.

Mulierum paucis prodigioſa aſſimilatio, ſicut hermaphroditis vtriuſque ſexus: quod etiam quadrupedum generi accidiſſe Neronis principatu primum arbitror. Oſtentabat certe hermaphroditas ſubiunctas carpento ſuo equas in Treuerico Galliæ agro repertas: ceu plane viſenda res eſſet, principem terrarum inſidere portentis. Idem lib.11. c.49.

HER-

HERMAPHRODITI; SEV *Androgyni.*

32.



HErmaphroditos ſeu Androgynos vocant etiam διφυεῖς & Ἀνδροθήλυας & Ἀρρενοθήλυας. In maribus id fit tribus modis, cum in perinęo ſiue interfœmineo muliebre pudendum exiguum videtur, cum itidem in ſcroto, ſed nullo excrementi profluuio: cum ibidem exeunte lotio. In fœminis vnico, cum penis ſupra genitalis faſtigium, in clitorio & ima pube prominet. Addunt quidam in maribus, cum ſupra colis radicem muliebris natura exſtat: in fœminis, cum penis ad inguina vel in peronæo profertur. Rhodig. cap. 10. & 15. 12. 19. Androgynos vocauit, & Pollux concubinos. Dalechampius annotat ad c. 3. lib. 7. Plinii N. H. litera d.

M. Meſſala, C. Liuio Coſſ. geminas duodecim ferme annorum natus, auruſpicumque iuſſu necatus. Iulius Obſequens lib. prodig.

L. Metello, Q. Fabio Maximo Coſſ. Lunæ Androgynus natus, præcepto auruſpicum in mare deportatus. Idem.

P. Africano, C. Fuluio Coſſ. in agro Ferentino Androgynus natus, & in flumen deportatus. Idem.

Cn. Domitio, C. Fannio Coſſ. in foro Veſſano, Androgynus natus, in mare delatus eſt. Idem.

L. Aurelio, & L. Cæcilio Coſſ. in agro Romano Androgynus annorum octo inuentus, & in mare deportatus. Idem.

L. Cæcilio, L. Aurelio Coſſ. Saturnius Androgynus annorum decem inuentus, & in mari demerſus. Idem.

Q. Metello, Tullio Didio, Coſſ. Romæ Androgynus in mare deportatus. Idem.

Cneio Cornelio Lentulo, P. Licinio Coſſ. Androgynus inuentus in mare deportatus erat. Idem.

Sinueſſæ natus infans, ambiguo inter marem & fœminam ſexu. Lycoſthen. lib. prodig. & oſtent p. 125.

In Sabinis incertus infans natus maſculus an fœmina eſſet. Alter ſexdecim annorum, iam item ambiguo ſexu inuentus: Idem p. 136.

Vidi virum qui habebat veretrum & teſticulos, & vulvam mulieris ſimul. Hali Rhodoham Comment. ad lib. 3. Techn. Gal. tex. 38.

Inter tot admirabilia & rara, quæ in humani corporis fabrica diuerſis temporibus obſeruaui, nihil admirabilius, nihil rarius cenſeo quam quod de neutra natura diligenter inueſtigaui. Propoſito enim mihi Androgyno, ſeu hermaphrodito, ſubiecto inquam eodem mare & fœmina, ſuperioribus etenim annis fœminam mihi videre contigit, quæ præter vulvā membro quoque virili prædita erat, quod tamen non erat admodum craſſum. Quamobrem in eius Anatome generationis vaſa accurate admodum perueſtigaui: vaſa ſeminaria teſteſque conſiderans, nunquid vlla inter hæc communio aut conſenſus adeſſet: tandem hoc comperi, vaſa quidem præparantia ab aliarum fœminarum præparantibus vaſis non differre: deferentia vero differre: nam bipartita erant, & ex binis quaterna natura genuerat: ex quibus duo, quæ etiam maiora erant, ad matricis concauum deſtinabantur, reliqua duo ad penis radicem, qui glandularum paraſtatum expers erat. Hoc tam admirabile viſu & ſpeculatu erat, quam quod

quod maxime: quo pacto natura prudens ſagaxq́ue locum ſatis tutum ſelegerat, per quem vaſa hæc ad penem deferri poſſent: & quemadmodũ meatum, qui in ipſo eſt pene, perforarent, qui meatus in aliis tum ſemini tum vrinæ communis exiſtit: hic vero vrinæ nihil quicquam opis afferebat: nam inſtar aliarum mulierum vrina exibat. Vterus autem, nec non vteri ceruix à cæterarum fœminarum matrice colloque nihil diſtabat: ſed in teſtibus diſcrimen erat: nam teſtes in hac craſſiores erãt, quam in reliquis mulieribus: ſed quoad ſitum ipſorum nullum diſcrimen deprehendi. Peni ſcrotum contiguum nõ erat, imo vero ſcroto prorſus carebat, & duobus muſculis præditus erat huius fœminæ penis, non quatuor vt in maribus perfectis. Præterea penis huius hermaphroditi tenui pelle integebatur, nullum aderat præputium, ſed duo ſpongioſa corpora, per quæ duæ arteriæ ferebantur, ab illis ortæ, quæ ad veſicam tendebant. Atque hæc ſint ſatis de hermaphrodito, quem mortuum ſecui.

Duos deinde hermaphroditos viventes conſideraui, in quibus alter mas, fœmina alter erat, (dicuntur autem à ſuperabundanti vel mares vel fœminæ, vt vel plantandis hominibus vel homini ſuſcipiendo ſunt aptiores, vel aptiores creduntur) Fœmina erat Æthiopica mulier earum, quas Cingaras appellant Longobardi, hæc neque agere neque pati commode poterat, nam vterque ſexus imperfectus illi contigerat ſuo magno malo: penis namque minimi digiti longitudinem craſſiciemque non excedebat: vuluæ autem foramen adeo anguſtum erat, vt minimi digiti apicem vix intromitteret, optabat miſera, vt hunc illi penem ferro euellerem, quippe quem ſibi impedimẽto eſſe diceret, dum cũ viro coire exoptabat: optabat ẽt vt vuluæ foramen illi amplificarẽ, vt viro ferendo idonea eſſet. Ego vero, qui horum vaſorum diſcrimen intueri ſæpius cupiebam, verbis detinui. Non enim ſum auſus aggredi illius cupiditati ſatisfacere, quoniam id abſque vitæ diſcrimine fieri non poſſe exiſtimabamus.

Hermaphroditus vir, quem vivum ſumma diligentia inſpexi, hoc modo habebat, penis aderat cum ſcroto, teſtibuſque, ſub quibus in peritonæo ſeu tauro, quo loco (inter anum ſcilicet & teſtes) fit ſectio pro extrahendo veſicæ lapide: foramen quidem perſtabat in vuluæ morem, ſed non penetrabat. Atque hi ſunt, quos vidi, Hermaphroditi. Columbus lib. 15. Anatomiæ.

Vidi corpus puellæ annorum circiter octodecim, omnibus, veſtitu nimirum, capillis & habitu vniuerſo, puellam præferentem, cum puellis cubantem,

bantem,& perpetuo, vt ancillam, elocatam. Quæ peſte mortua, cum æſtimatibus multis & magnis atque liuidis, inter alia, reperta eſt habere duos teſticulos amplos, membrum virile amplum: pubeſcebat pubes pilis nigricantibus: exiſtimabatur puella, quia per paruum foramen ſub cole, qua parte adhærebat pubi, mingebat. Aperto corpore nulla matrix viſa eſt, ſimilis aliis maſculis. Videbatur etiam rem cum puellis habuiſſe, præputium enim facillime detegebatur, nulla ſordicies circa balanum, mammæ nullę: diſſecto cole, nerui duo ampli poroſi: vrinarius ductus nullus. Huius affectus meminit Paulus Ægineta inter Hermaphroditos lib.6.capit.69. & ſimilis fere affectus hypoſpadiceorum lib.6.cap.54. D. Ioannes Bauhinus de obſeru. propriis.

Contingit generari quoſdam & aliquo vſque adoleſcere, de quibus inſpicienti non conſtet cuiusnam ſexus ſint. Imperitiores illos vtriuſque ſexus eſſe autumant, ſed longe falluntur. Fit enim caſu aliquo vt ex terroribus ſubitis etiam circa hæc membra ſemen aliquid vitii contrahat. Exēpli gratia. Contigit nobis talem offerri infantem, de quo non ſatis conſtaret, cuiuſnam ſexus eſſet. Prominebant quidem teſticuli, membrum præterea nullum. Infra teſticulos ruptura erat vnde vrina efflueret. Sed quia propter virgæ prominentis defectum (nec enim tota aberat, ſed intro cōuerſa ad modo dictam rupturam deflectebat) hanc natura vrinæ viam dediſſet, non pro fœmella, nec pro Androgyno, ſed pro maſculo hunc haberi & baptizari placuit. Fatebatur autem mater, ſe ex viſo quodam adeo territam, vt hinc infanti hoc contractum eſſe coniiceret. Iacob. Rueff. li. 5.c.3. de conceptu & generat. hominis.

ANDROGYNVS, SIVE PARtus monſtroſus, vtriusq; ſexus.

33.

ANno milleſimo quingenteſimo decimo nono Tiguri Hermaphroditus vel Androgynos nat⁹ eſt, ſupra vmbilicū egregie formatus: ſed circa vmbilicum rubeam carnis maſſam habens: ſub qua membrum muliebre, & infra hoc loco conuenienti virile quoque. Iacob. Rueff. lib.5.cap.3. de concept. & & generat. hominis.

Anno domini milleſimo quadrageſimo octogeſimo ſexto ad Heidelbergam in agri Palatini pago, Rorbachio, gemelli duo nati ſunt, dorſibus

cohæ-

cohærentes, & hermaphroditi ambo. Lycoſthenes lib. prod. Ipſe noui hermaphroditum, qui ſequioris ſexus ſeu muliebris putabatur, viroque nupſerat, cui filios aliquot & filias peperit: nihilominus ancillulas comprimere, & in his generare ſolebat. Hier. Montuus de Med. Theoreſi lib. 1. cap. 6.

C. Claudio, M. Perpenna Coſſ. mulier duplici natura inuenta. Obſequens.

MONSTROSI FOETVS CIRCA PEDES, QVI VEL NVMERO, VEL DEFEctu, vel ſuperabundantia, vel aliena forma prodigioſi conformati ſint.

MONSTRVM PRODIGIOSVM HVmanum, cruribus & tibiis coalitum, cauda ſuilla.

34.



ANno Chriſti partæ Virginis ſupra milleſimum quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſecundo Maii, ſtylo nouo, monſtrum hoc humanum, cuius Iconem tibi exhibemus, in percelebri Imperiali ciuitate Colonia in lucem prolatum eſt Erat infans bene compactus, niſi quod in ceruice duos contiguos tumores inſtar duorum ouorum ſecum ex vtero matris tulerit. Inſuper femora pedeſque ab imo ventre ad pedis extremũ vſque coaluerant, digitis pedis ſiniſtri omnino deficientibus, quorum loco in eodem pede ſiniſtro calcis regione maſſula quædam prominebat, puellorum auriculari non abſimilis. Retro, vbi natura anum denegauerat, cauda ſuilla cernebatur, atque paulo altius in coccige tumor vel adnatum quoddam oui magnitudine adparebat.

INFANS PRODIGIOSVS NATVS,
pedibus ternis, & vnico brachio.

35.

35



36



P Africano & Lælio Coſſ. Amiterni puer tribus pedibus, vna manu natus. Iulius Obſequens.

INFANS TRIBVS PEDIbus natus.

36.

Appio Claudio, P. Metello Coſſ. Amiterni puer tribus pedibus natus. Idem eodem libro.

PVELLA MONSTROSA QVAdrupes.

37.

37



38



P. Africano, C. Fuluio Coſſ. puella quadrupes nata. Idem.

Conſtantinopoli puer natus quadrupes. Lycoſth. libro prodigiorum Anno Domini milleſimo quingenteſimo, nonageſimo quinto.

Puer quadrupes natus, Mauritii Romanorum regis tempore. Idem libro citato anno Domini milleſimo ſexcenteſimo primo.

Plura huiuſmodi exempla require ſupra in obſeruatione, qui brachiis tribus vel quatuor nati ſunt.

INFANS ABSQVE PEDIbus natus.

38.

IN villa Nebritz, non procul ab oppido Wutzenſi ſito ad Moldam, natus eſt infans ſine pedibus. Lycoſthenes de prodig. & oſtent. anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo.

In Piceno abſque manibus & pedibus natos Romana tradit hiſtoria. Peucerus Teratoſcopiæ pag. 442. facie auerſa.

MONSTRVM SVPERNA PARTE *hominis effigie ad vmbilicum vſq; inferna Syrenum caudam pedum loco referens.*

OCtauo die Februarii, anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo in caſtro Diui Amandi All feri in ſolo Borbonico, ex iuuencula quadam m hi noriſſima natum eſt monſtrum, hominis effigiem à capite ad vmbilicum vſque referens, ab vmbilico infra crurum pedumque ac digitorum pedis loco ſubſtituta eſt cauda Syrenum modo, pyramidali figura, in latum tamen pedis magnitudine deſinebat. Tinctũ fuit hoc monſtrum Chriſtianorum lauacro, horamque à partu duntaxat vixit. Nicol. Rocheus de morb. mulier. curand. cap.

MONSTRVM PEDIBVS CAPRINIS.

MIchaelis Parpinacei Imperio, natum monſtrum, quod pedes habuit caprinos, in media fronte oculum vnum. Peucerus li. 4. Chronici Carionis.

SINE PEDIBVS HVMANVS *partus, quorum loco, & à lateribus habuit cuſpides prominentes.*

39.



VVidensbachi, quod diſtat miliare vnum à Schleuſinga, monſtrum natum ex muliere, imagine infantis, abſque pedibus, quorum loco habuit cuſpidem demiſſam, à femoribus etiam cuſpides prominentes habuit. Auctor Iobus Fincelius de miraculis.

Natos infantes vidimus, defectu membrorum mutilòs, pedibus carẽtes. Iacobus Rueff. lib. 5. de concep. & gener. hominis.

INVERSIS PEDIBVS INFANS *natus.*

IN Saxonia infans Witebergæ natus inuerſis pedibus. Lycoſthenes in ſuis prodigiis, an. milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto.

MONSTROSVS PARTVS PEDE
duntaxat vno, abſq; brachiis.

40.

DEcimo Octauo Calend. Maii, intra ſextam & ſeptimam Myſenæ natus infans, diuiſo in fronte craneô, vnico crure ſine labiis, oris loco exiguum habens foramen, reliquo truncatus corpore. Lycoſthenes libro de prodig. & oſtentis.

MONSTROSI PARTVS GEMELLORVM MVLTIFARIAM CONNATORVM & cohærentium.

GEMELLI VNICO CAPITE
coniuncti.

ANno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, Turonenſis quædam mulier gemellos peperit, vnico capite coniunctos, & ſe mutuo complectentes. Horum ad me Sceleton miſit Renatus Ciretus tota Turonenſi regione famatiſſimus. Ambroſius Paræus operum ſuorum lib. 24. cap. 2.

GEMEL-

GEMELLI MONSTROSI NATI,
vni ſaltem capiti prodigioſe adhærentes.

41.



LOuanii ſeptimo Idus Aprilis Anno quadrageſimo ſeptimo gemelli nati diſtinctis corporibus, vni adhærentibus capiti. Peucerus Teratoſcopiæ pag.440.facie auerſa.

Quendam, qui circumferebatur Auennione, vidiſſe me memini, à ceruice infra bicorporeum totum. Valleriola locorum communium libr.1. cap.18.

DVÆ VIRGINES, MONSTROSÆ,
frontibus connexæ.

42.

VNum, cui⁹ in Coſmographia ſua meminit Munſterus, quod præ cæteris admiratione dignum ſit, hic adſcripſiſſe iuuabit. Colloquebantur,

tur, vt ſcribit, non procul à Wormacia (in villa Birſtat, quæ ſita eſt inter Wormaciam & Bensheim, vt teſtatur Lycoſthenes lib. prodig. & oſtent.) Anno ſalutis humanæ ſupra milleſimum quadringenteſimo nonageſimo quinto, duæ mulieres, quarum cum vna vterum geſtaret, ac tertia quædam ex inſperato ſuperueniens colloquentium capita concuſſit: grauida animo conſternata, in concepto iam fœtu manifeſtum concuſſionis huius reliquit ſignum: ſiquidem cùm iam parturiginis tempus adeſſet, enixa eſt didymos: erant duæ puellæ corporibus integræ, ſed in vertice fronte tenus connexæ inſeparabiliter, & ſe mutuo inſpicientes, cogebantur ſimul incedere, ſimul dormire & ſurgere, & cum vna procederet altera retrocedebat: naſi vtriuſque ſeſe fere contingebant, oculi vero non in directum, ſed in latera tantum torqueri poterant, quia paululum ſupra oculos frõtes cohærebant. Extenſa eſt vita illarum ad decimum annum, & cum tunc vna moreretur, illaque à ſuperſtite reſecaretur, viua ab accepto vulnere, aut potius ex vulneris fœtore & cerebri putrefactione, ſororem paulo poſt mortem eſt ſubſecuta. Hactenus Munſterus, quæ niſi is ſeſe ſuis oculis vidiſſe affirmaret, quoniam ſupra hominum fidem ſunt, non crederemus. Baldus Ronſſeus lib. de hominis primordiis, &c. cap. 10. Cardanus li. 12. de ſubtil. Corn. Gemma lib. 1. Coſmocrit. cap. 6. Lycoſth. lib. de prodig. & oſtent. Ambroſ. Pareus lib. 24. cap. 2.

GEMELLÆ VIRGINES, INFEriore maxilla, & pectoribus connatæ.

SExta Octobris ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, geminorum ſe complectentium prodigioſa ſpecies nata, ambobus quidem fœminei ſexus, quatuor brachiis, pedibus quatuor. Erant connatæ pectoribus, atque inferiore maxilla, vt prorſus os vnicũ videretur. Vixit ad ſpacium dimidiæ horæ. Diſſecto cadauere, cor cuique ſuum, ſua ſede diſcretum, ſecus quam alias apud nos viſum fuit. Gemma Coſmocrit. lib. 2. pag. 170.

GEMINI PECTORIBVS connati.

BErcheldiæ, in ditione Principis Illuſtriſſ. Palatini Electoris, in villa nõ procul ab Heidelberga, 14. Calend. Ianuarii, nati ſunt gemini pectoribus

bus ſibi affixis, vnico vmbilici dependentis vinculo conſtricto. Lycoſthenes lib. prodig. & oſtentorum. Anno Domini ſupra milleſimum quadringenteſimo nonageſimo quarto.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimo quadrageſimo primo, die decimo nono Februarii, Friburgi Myſorum editi gemelli, iuncti totius anterioris thoracis cohæſu. Peucerus Teratoſcopiæ pagina 442.b.

GEMELLI, PECTORIS COALITV VSque ad vmbilicum conglutinati.

43.



IN ducatu Wirtenbergenſi nati ſunt gemini, coalitu pectoris, ad vmbilicum vſque connexi. Idem eodem opere.

Nati ſunt gemini pectoribus ſibi affixis, & mutuo obuerſis faciebus, vno vmbilici conſtricto vinculo. Iacobus Rueff. de concep. & genera. hominis lib. 5. c. 3.

Heidelbergæ nati ſunt gemelli, anno quadrageſimo quarto, vtrique complicatis ſeſe mutuo amplexi ſunt manibus. Peucerus in Teratoſcopia pag. 441. b.

Nos Romæ vidimus Alexandri temporibus infantes geminos ſimul coniunctos, aduerſis inter ſe vultibus ac manibus in eodem corpore: qui tamen parum vixerunt. Volaterranus lib. 24. de genitalibus.

AGALMA ET DELINEATIO PARTVS MONſtroſi bicorporis, Virginum gemellarum, capitibus, collo, pectore & ventre cohærentium, quæ ab hinc annis duobus Argentinæ editæ ſunt.

44.



A utreo

ANno milleſimo centeſimo ſexto, tertio die Ianuarii, in celebri imperiali ciuitate Argentina fœtus monſtroſus, à parentibus pauperculis & plebeis, Patre Stephano Schwartz fabro lignario, ad ſignum mali inaurati, habitante editus eſt. Fuit partus bicorporeus, ſexus fœminini, capitibus, collo, pectore, & integro ventre connatus. Vna adparebat facies, binis oculis, quatuor auribus, vnico naſo, & ore vnico quidem non admodũ indecenter prædita, ſi parte anteriore monſtrum ſpectaretur, hoc eſt, ea parte, qua ex duobus conglutinatis capitibus facies effigiabatur; ſed poſterius, fœtu in faciem procumbente, vbi & ſecunda alterius infantis facies expectaretur, coaluere capita vtris in modum, nihilque ea regione, præter auriculas duas in colli faſtigio vtrimque poſitas, conſpectui ſe offerebat. Hæ gemellæ pectore & ventre vniuerſo cohærentes, vtraque binis ſuis brachiis alterutram complexabatur, brachiis decuſſatim ſuperimpoſitis. Pedes, vt & brachia, certo ſuo numero conſtabant, qui & ipſi inter ſe diuaricati complicabantur, ab vmbilico vtriuſq; infantis vinculo ſubtus propendente. Vixerunt ſeſquihoram, tincti ſunt lauacro Baptiſmi, & Annæ Mariæ nomine inſigniti. Iis apertis poſt obitum, inuentum eſt cor vnicum, pulmo vnicus, duplex iecur, ventriculus vnicus, & quatuor renes.

HISTORIÆ ALIQVOT MEMORABILES gemellorum connatorum: quorum alter acephalus, collum circa imum pectus aut ventrem alterius inſertum habens, propendere viſus eſt.

GEminos naſci nullus dubitat, vt indiſtincti ſint, monſtroſum eſt. Mulier quædam Alexandra nomine, ex Mediolanenſi agro Florentiam veniens, geminos mares quæſtui ſpectandos dabat: quorum alter integer toto corpore, diſtinctiſque membris erat: alter vero ita ſcapulis alterius iungebatur ventriculo, vt illi totum caput inieciſſe videretur: cætero vero corpore ab eo ſeiunctus, non ſecus illo de mammilla matris lac exſugente mouebatur, ac ſi ipſe pariter ſugeret. Beniuenius c. vlt. abditor.

Vidimus aliquando ex Gallia in Italiam hominis in natura aduectum monſtrum, quod per vrbes ad ſpectaculum quæſtus cauſa à pleriſque circumferebatur. Id puer nondum plenæ pubertatis erat, cui ab anteriore parte inter imum pectus & vmbilicum eiuſdem ſexus paulo minus, quam integer alius pendebat homo: alterius illius & integri, ex quo pendebat

pondus inutile attigiſſet, quem integrum membrorum omniũ diximus, ſtatim perſentiſcere animaduertebatur. Non deerant tamen quibus oppoſitum videretur. Hoc itaque monſtrum vbi diem ſuum obiit, ego, rei nouitate allectus, libenter ſecui, quæ autẽ obſeruaui hæc fere ſunt. In imperfecto, quem dixi, nonnulla inteſtina aderant, ex quorum vnius portione tum veſica, tum anus conſtituebatur, nullum ibi aderat iecur, neque cor, neque cerebrum, ſed ren permagnus, quem ego pene hepatis munere fungi ſum opinatus, nam ab extremo iecore perfecti infantis craſſa vena, duraque inſtar arteriæ deducebatur ad renem illum inſignem, atque inde venæ aliæ complures paſſim diſtribuebantur, at ab arteria dextra axillari perfecti puelli arteria ortum ducebat, quæ poſtmodum per vniuerſam partem monſtri imperfectioris diducebatur. Item à neruis dextri brachii exibant, qui per reliquum corpus imperfecti homunculi diſſeminabantur. Columbus de re Anatom. lib. 15.

Cum hæc ſcribo, Anconam venit puer Illyricus ſex natus annos, boni ſane habitus, exacte & perfecte omnia membra habens, monſtrum tamen præſeferens, quia ab eius vmbilico thoracem verſus, alterum pueri corpuſculum deducebatur abſque tamen capite, ſed duo habebat brachia, duo crura, ſed vtraque immobilia, ano carebat, ſed ſcroto abſque didymis, id eſt, gemellis teſticulis, ornabatur, non ſecus ac pelle oblonga quadam glandis vice, per quam vrina fere ſemper deſtillabat. Sed puer cum mingebat, & per hanc quoque viam vrinam repente mittebat. Erat autẽ puer hic ita omnibus admirationi, vt eo parentes per vniuerſam Italiam magnam corraſerint pecuniam. fuit autem hoc mõſtrum Anconæ, anno ſupra milleſimum quingenteſimo quinquageſimo ſecundo. Amat. Luſit. Curat. 57. cent. 3.

Illud quod nuper ex nundinis Francofordianis (vnde velut ex Africa ſemper aliquid noui ad nos perfertur) accepi, obticere non poſſum. Anno à Chriſtiparæ Virginis partu, ſupra ſeſquimille & quinquaginta ſex annos, ad quartum à celebri vrbe Argentina lapidem, mulier inops in pago quodam enixa eſt maſculum, cui per epigaſtrium infra ξιφοειδὲς orificii ventriculi cartilaginem, manu tranſuerſa, prominebat moles infanti non diſſimilis, cuius caput cum ceruice ad ſcapulas vſque intra pectus cognati maſculi latere videbatur: ſi modo vllum habuit. Brachia vero vtrimque cum manibus eminebant foras: ſiniſtra manus quatuor, dextra tribus digitis conſtabat. Nates vtraſque habuit leniter extuberantes, diuaricatis vſ-

que ad ſui cognati crura pedibus, quorum inuerſa planta dextra tabeſcebat, hiſpidam ſub axillis & in pube lanuginem, & penem virilem, vnde ſerum ſanguinis eminxit, vt embryo inter ἀλλαντοειδῆ & ἄμνιον tunicas ſuum effundit lotium, & proinde ac fœtus in vtero nihil excrementi per annum egerit, ſic quoque nihil excreuit, hos enim ſeminis copia ita agnatos coaluiſſe in confeſſo eſt, qui nundinis elapſis octo numis videndi proſtabant. Langius epiſt. 8. Tom. 2.

Anno poſt Chriſtum natum ſupra milleſimum quingenteſimum vigeſimum nonum, in quodam Herciniæ Syluæ ſuperioris pago infans natus eſt, & in iuſtæ ſtaturæ virum excreuit, vniuerſa corporis figura mas recte habens, niſi quod vbera haberet, & ex ipſius pectore alterius corpus propenderet, ſine capite & humeris, brachiorum informẽ figuram prodentes, manibus plus ad pedum, quam manuum formam accedentibus. Iacobus Rueff. lib. 5. cap. 3. de conceptione & generatione hominis.

FOETVS PRODIGIOSVS VIRILIS SEXVS, *cuius è pectore aliud integrum corpus, ſolo abſcondito capite, dependebat.*

45.



COlmariæ imperialis Alſatiæ oppidi ad illum fluuium ſiti natus eſt infans virilis ſexus, ex cuius pectore aliud integri hominis eiuſdem ſexus corpus omnibus abſolutum, ad genua vſq; protédebat, ſolo capite in alio corpore infixo. Lycoſthenes lib. prodigiorum, anno milleſimo, quingenteſimo decimo quarto.

Ex Sabaudia in Heluetiam venit quidam iuſtæ ætatis, integra forma, membris bene compactis omnibus, ex cuius tamen ventriculo præterea aliud hominis corpus ita propendebat, vt caput tantum atque brachia ſola de-

la deeſſent. Circumtulit Vir bonus hanc molem, magno hominum vndiquaque confluentium ſpectaculo & admiratione, per regiones diuerſas, ex corpore miraculoſo quæſtum faciens. Idem, anno milleſimo quingenteſimo decimo nono, citati operis.

In Hercyniæ ſyluæ quodam pago, non procul à Kniebis, infans monſtroſus natus eſt, virilis ſexus, in corpuſculo circa pectus aliud præterea corpus membris omnibus abſolutis propendebat ad genua vſque: ſolo capite in alio corpore tecto. Peruenit monſtrum hominis ad virilem vſq; ætatem, hinc inde miraculi loco, ac Argentinæ adhuc, in nundinis circa Ioannis Baptiſtæ feſtum 1555. ac ſequenti, quo hæc ſcribimus, apud nos Baſileæ in Nundinis D. Martino ſacratis conſpectum eſt. Idem.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo viſus eſt vir Lutetiæ, ex cuius aluo alter velut conſitus homo pendebat, membris omnibus, capite excepto, abſolutus. Vir ille quadragenarius erat, inſertumque illũ & velut prodeuntem ex ſeſe hominem tanta omnium admiratione vlnis ſuis geſtabat, vt certatim ad ſpectaculum accurrerent. Pareus operum ſuorum lib. 24. c. 2.

Vidi in hac vrbe ante annos circiter viginti, virum, non magnæ ſtaturæ, qui corpus humanum, aliud à ſuo integrum à ceruice, qua thoraci illius adnatum erat, geſtabat. Hoc à thorace in terram vſque propendebat, omnibus aliis partibus, præter caput, quod ac ſi corpori intruſum eſſet, nõ apparebat, abſolutum, vnguibus inſuper, piliſque ſub axillis ac pube ornatum. Hoc, quotieſcunque vir ille mingebat, ſimiliter vrinam profundebat, podice alias clauſo, & nullibi apparente. D. Felix Platerus de obſeruationibus propriis Parenti meo communicatis.

AGAL-

AGALMA GEMELLORVM, QVOrum alter caput circa pectus alterius inſertum habuit, ad vivum ectypum effigiatum.

46.



MONSTROSI GEMELLI, PECTORE *& ventre connexi & conglutinati.*

47.

OCtauo Idus Februarii hora quinta, eodemque minuto, Scaphuſiæ Heluetiorum nati ſunt infantes duo, vterque fœminei ſexus, capitibus duobus, brachiis quatuor, totidemque pedibus disiunctis, vno vero corpore à collo ad vmbilicum vſque, vmbilici ſubtus vinculo propendēte, Lycoſthe. libr. Prodig. anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimo quadrageſimo tertio. Vide quæ annotauimus de geminis lateribus ex Rueſſio, num eandem vel aliam hiſtoriam inaudiat, annus & locus reſpōdent, ſed coalitu partium differunt.

Anno Domini milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, in Ponte Sæo ad Andes oppidulo, prodierunt in lucem, decimo die Iulii, gemellæ fœminæ, cetera membris omnibus perfectæ, niſi quod alterius manus ſiniſtra quatuor digitis tantum diſtincta erat. Cohærebant autem anterioribus partibus, nempe à mento ad vmbilicum vſque, qui ipſis vnicus, & cor vnum erat: hepar vero in lobos quatuor diuiſum. Vixere ſemihorā, & regenerationis lauacro inſignitæ fuere.

Vidit parens hic Louanii ita commiſſos, vt capite diſtincti, brachiis, manibuſque quatuor, ventre, & ſterno pectoribus copularentur. Inuentum illo præſente per anatomen cor commune, cerebrum ſuum cuique ſecretum. Neque vulgaris quæſtio, an pro vno homine, an pro duobus foret genus hoc monſtri philoſophis appellandum. Orta eſt contentio varia, aliis ſedem τῆς ἐντελεχείας, in corde, aliis in cerebro collocantibus. Mihi quidem (ſaluo ſemper meliore iudicio) formæ humanæ dignitas ex rationis domicilio potius æſtimanda cenſebitur, quanquam in corde ſit fons caloris vitalis, ac facultatum animalium & naturalium præcipuus nodus, hoc enim ad vitam, & totam animalis compoſitionem potius, quā ad differentiam ſpectat. Adde his, quod & formatrix vis, quæ primum cūcta delineat, atque diſcernit, in cerebro habere primam ſedem certiſſime demonſtretur, ſi quis noſtræ concetionis monogrammata, ſeu embryonis primum formati rudimenta per ſectionem Anatomicam accuratiſſime contempletur: ſemper enim particulis cæteris grandius caput inuenimus, quin & perpetua proportione minora ſingula membra, quanto lō-

gius

gius à capitis regione diſtiterint,donec plenæ formationis typum ſunt cõſecuta.Idem in ranis aliiſque animantibus facile eſt animaduertas. Gemma Coſmocrit.lib.cap.6.

Partus monſtroſus nuper Treiſæ editus,ita fuit formatus,&editus à parentibus probis,inferioris & tenuioris fortunæ,quique victum ex diario labore quæritant,pedibus primum,præter naturalem & conſuetum pariendi modum,in lucem prodiit,vita caruit, quanquam paulo ante tempus pariendi vitalem ſenſerit puerpera,partus is gemelli fuerant, ſeu duo infantes,vterque fœminei ſexus,qui antico corpore, pectore nimirum & ventre coaluerant,& conglutinati erant,bina capita habuerunt, ternis erant auriculis,& quarta auris erat tantum quædam particula inferius de aure pendula,quaternis pedibus,quaternis item brachiis, mutuos amplexus habuerunt. Cum autem cogitatio mentem meam ſubiret,an ne etiam interiorum partium non naturalis quædam formatio,aut coalitio foret,conſenſu Parentum & Parochi diſſecui cum Chirurgo præſente Parocho & Diacono:offendimus autem interius vnum ventriculum, vnum epar, idque ſatis amplum & latiuſculum, quemadmodum etiam habuerunt foris vnum magnum vmbilicum & ductum, quo hauſerunt maternum alimentarem ſanguinem: inteſtina erant vniuſmodi, nec ita diuiſa aut diſterminata, vt quilibet infans ſua haberet, nihilominus duos ſplenes,in vtroque ventriculi latere vnum, habuerunt, quemadmodum etiam duas veſiculas fellis, vtrinque iecinori ſubnexas,habuit præterea quilibet infans binos ſuos renes,ſuam veſicam ſuamque matricem, & partes genitales,ſingula iuſto ſuo loco ſita. In medio ventre pectore nimirum, habuerunt vnum cor amplum & latum, quod non circumplicabatur à pulmone,vt alias ſolet,ſed membrana, mediaſtinum dicta, quæ medium pulmonem dorſo & pectori alligat,erat gemina,quæ tanquam duo parietes,& latera aliquatenus à ſe diſtantia, intermedium cor cum pericardio continebat,vtrinque deinde in reliqua cauitate pectoris erat exigua portio pulmonum ſuis ligamentis alligata,vt non vnum,ſed duos pulmones cognouerimus. Capita non fuerunt aperta aut diſſecta,fuit enim cuique infanti ſuum peculiare caput, nec aliquid ſingulare & præter naturam in his fore arbitrabamur conſpiciendum.Quare poſt diuturnam inſpectionem fuerunt tum terræ mandati:aliquot etiam maculæ viſæ ſunt, præſertim in brachiis,& poſteriore parte corporum,alterius etiam caput nonnihil grandius fuit altero.Cl.V.D.Ioachimus Camerarius de ſuis Obſeruationibus ad parentem meum miſſis.

GEMINI VENTRIBVS COHÆrentes.

48.

HEidelbergæ ad Neccarum flumen nati ſunt die Pentecoſtes duo cō-iuncti,& maſculi,duobus corporibus,ventre conglutinatis,duobus capitibus,quatuor manibus & pedibus,quorum mater Catharina, Pater vero Caſparus Besler faber.Baptiſati ſunt ambo, quorum vnus Ioannes, alter vero Hieronymus nuncupatus eſt,vixerunt diem vnum cum dimidio.Defunctis vero à Medicis membra interiora per ſectionem viſa, cor tantum vnum inuentum eſt. Lycoſthenes prodig. Anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimo quinquageſimo quarto.

GEMEL-

GEMELLÆ VIRGINES, VENtre coalitæ.

49.



HErbeſebii in Thuringiæ pago, vigeſimo Martii, gemellæ natæ ſunt ventre concreto, ac faſcia carnea in vnũ quaſi colligatæ, medio corpore ſe mutuis amplexibus retinentes. Idem eodem opere, anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimo quinquageſimo tertio.

In fine Iulii anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, mulier quædam peperit geminos fœminei ſexus, ſolo ventre, vnico vmbilico tãtum inſignito, connatos. Viſſenac. lib. 2. Theoricæ p. 88.

GEMELLI VMBILICO CONNATI.

COnſtantiæ ad lacum Acronium, duo infantes, maſculus ac fœmella, duobus capitibus, quatuor brachiis, totidemque pedibus, membris

omnibus abſolutis, ſed circa vmbilicum coniunctis corporibus nati ſunt. Lycoſthen. lib. prodig. anno. 1093.

In pago vallis ſuperioris Arni, nomine Tertanio, monſtrum eſt natũ, habens duos pueros, vno vmbilico ad inuicem iunctos, cui ab vno latere & genitalia erant membra, & bina quoque pendebant inualida crura, ab altero vero latere crus ſolum exibat imperfectum, vixitque diem vnum. Lycoſt. prodig. anno Domini 1503.

In pago Groſſou agri Tigurini apud Heluetios, mulier honeſta peperit maſculos duos, duobus capitibus, vno quidem corpore, vmbilici vinculo coniunctos, quatuor manibus, totidemque pedibus. Idem eodem opere ſub annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum nonageſimũ, quarto Maii, circa meridiem, in pago Hermeltzheim, ditionis Epiſcopatus Argentoratenſis, Margaretha Theobaldi Helden, ciuis, vxor enixa eſt fœtũ bicipitẽ, quadrimanum, quadrupedem, duobus membris muliebribus, omnibus reliquis partibus, vno excepto vmbilico, quo nimirum colligati erant gemelli, diſtinctum. Wilhelmus Mees amicus noſter.

PARTVS BICORPOREVS, VMbilico vice verſa connexus.

50.

DIe vigeſimo ſecundo Maii, qui fuit dies Martis, Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Venetiis è fœmina Hebræa admirandum, formidandumque monſtrum enatum eſt; duo quippe infantuli, corporibus inuicem conglutinatis & cohærentibus, quorum ſinguli capite oreque donati cibum potumque naturaliter aſſumebant; poſſidebant inſuper brachia, & pedes inter ſe complicatos: deſtituebantur locis ſecretis & naturalibus, quorum vicem vmbilicus ſupplebat. Quæ omnia adpictum agalma viua delineatione clarius ob oculos ponit, ac de eius veritate, ſi opus foret, præfata Venetia teſtatur.

GEMINI LATERIBVS CON*iuncti.*

IN oppido Seckingen (patria Viri Clariſſimi Ioannis Iacobi Beureri in Academia Frib. Profeſſoris, amici Paterni ſingularis) tribus miliaribus ſupra

ſupra Baſileam ad Rheni ripam ſito, gemini nati ſunt, coniunctis lateribus, qui tamen propter matris grauiter parturientis dolores, non diu vixerunt. Lycoſthenes lib. prodigiorum anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto.

In Acken oppido Saxoniæ ad Albim, infantes femoribus lateretenus connati ſunt viſi, eo ſitu, vt dexter ſiniſtra manu humero dextero alterius incumberet, ſiniſter dextram thoraci alterius transuerſim prætenderet. Peucerus Teratoſcopiæ pag. 441.

Scaphuſiæ Heluetiorum anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio, infantes duo nati ſunt, coniuncto altero latere, capitibus duobus, brachiis quatuor, totidemque pedibus, vmbilico vno, fœminei ſexus vterque. Ex his alter mortuus in lucem prodiit, alter vero vivus prodiens, continuo expirauit. His per omnia ſimiles alii quoque anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio, in Einſiedel nati ſunt. Iacob. Rueff. de concept. & generat. hominis libr. 5. capit. 3.

ICON

ICON GEMELLORVM FOEMINEI SE-

xus, lateribus cohærentium, ab amicis communicata, & ad viuum appoſita.

51.



GEMINI VTRIVSQVE SEXVS,

obuerſis tergoribus connexi.

52.

IN Palatinatu non procul ab Heidelberga in pago quodam Rorbachio gemini vtriuſque ſexus, obuerſis tergoribus annexis, nati ſunt. Lycoſt. prodig. lib. anno Domini 1486.

Nati ſunt quidam tergoribus annexis, ſingillatim vmbilici vinculis propendentibus, diſtinctis membris, nullo deficiente aut ſuperante. Iacobus Rueff. de conceptione & generatione hominis lib. 5. cap. 3.

Anno

Anno Domini milleſimo quadragenteſimo ſeptuageſimo quinto Veronæ in Italia natæ produntur duæ Virgunculæ, ſibi dorſo ab humeris ad nates vſque arctiſſime cohærentes. Monſtri nouitas pauperes parentes impulit, vt id per omnia Italiæ oppida, ad corrugandum ex accurrente vndique multitudine pecuniam, circumferrent. Pareus libr. 4. c. 2. hiſtoriæ.

Eiuſdem (vt apparet) hiſtoriæ meminit Lycoſthenes prodig. libr. his verbis. In Veronenſi, inquit, agro infans fœmina orta eſt, binis genitalibus, duplici ventre, quaternis brachiis. Id monſtrum parentes multum diuque per Italiæ vrbes quæſtus cauſa circumtulere. Vide annum Domini allegatum.

Simile Romæ anno ſupra milleſimum quadragenteſimo nonageſimo tertio viſum annotauit Corn. Gemma Coſmocrit. lib. 1. ca 6. Ex Lycoſthene, cuius hæc ſunt: Romæ gemini nati ſunt, ſimulque vno corpore iuncti, aduerſis inter ſe manibus ac facie, qui pauxillos vixerunt dies. Vide eiuſdem prodig. lib. anni citati.

In Romana hiſtoria Vrbis 660. geminas puellas dorſorum concretione continuas, natas legimus C. Lælio & L Domitio Coſſ. Peucerus in Teratoſcopia. pag. 441. b. forte ii, qui à Ruffeo adducuntur proxime.

Vulſiniis gemelli nati, tergis ſibi affixi, capitibus duobus, brachiis quatuor, totidemque pedibus, vterque ſexus fœminei. Iacob. Rueff. de concept. & generat. hominis lib. 5. cap. 3.

***

K B I-

BICORPORA TERGORI CONnata: *quorum anticum hominis, poſticum canis forma.*

53.



CIrca finem Imperii Lotharii Cæſaris, qui fuit Saxoniæ Dux, quædam mulier edidit partum monſtroſum, ſpecie videlicet hominis ac canis, integerrime corporibus coniunctis, dorſo connexis, ac dorſi ſpina ſolidiſſime conglutinatis. Lycoſthen. lib. prodig. Anno domini 854.

In Albania ignobilis muliercula monſtrum bis gemini corporis eſt enixa, auerſis vultibus, & corporibus ſibi cohærens: ante quidem effigies hominis, integro corporiſque membrorum homine diſtincta, retro vero facies canis, ſimiliter corporis, & membrorum proprietate integra. Idem Anno Domini 1126.

MON-

MONSTRA BICIPITIA, ET GEmina ſuperna corporis parte, inferna ſimplicia.

ANte annos aliquot noſtra certe memoria in Oriente duplex homo natus eſt ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex: nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem vnus, & pedes duo, ſicut vni homini, & tam diu vixit, vt multos ad eum interdum fama traheret. D. Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 16 c. 8.

Auguſtinus in Enchiridio c. 87. facit mentionem bimembris cuiuſdam nati, tum in Oriente, ſed deſcripti ab Hieron. apud quem eſt: Lyddæ natũ hominem duorum capitum, quatuor manuum, vno ventre, duobus pedibus. Martinus Weinrichius Comment. de monſtris. c. 24.

Conſtat monſtrum in Ægypto nimirum vixiſſe ad quartum vſque annum, quod vmbilicotenus ex duobus conſtabat, infra autem vnus erat puer. Cardanus Comment. ad Hippoc. de ſep. partu.

Anno Henrici III. Imp. V. in confinio Ortmanniæ & Britanniæ portentum aliquod viſum eſt in vna vel potius duabus mulieribus. Duo erãt capita, & quatuor brachĩa, cætera gemina vſque ad vmbilicum, inferius ſingula omnia. Comedebat, ridebat, loquebatur, vna flebat, eſuriebat, altera tacebat, ore gemino manducabat, ſed vno meatu per ventrem eiiciebat, vna defuncta ſuperuixit altera, pene triennio mortuam portans, donec & pondere molis, & nidore cadaueris defecit. Vincen. lib. 26. cap. 38. Speculi hiſtorici, ex Guillerino. Sed hæc Matth. Palmerius retulit ad annũ Chriſti 1061.

In infante nato in Britãnnia, cuius genitalia genitalibus inſerta erant, crura commixta, vt in duo redirent, cætera duorum, caput, brachia, venter atque ex aduerſo poſiti, mortem regis, mutationemque regni, & ſororis ſucceſſionem oſtenderunt. Cardanus lib. 14. c. 77. de varietate.

In Anglia natus eſt puer geminus à clune ad ſuperiores partes ita diuiſus, vt duo haberet capita, duo corpora integra ad renes, cũ ſuis brachiis, qui baptizatus triduo ſuperuixit. Lycoſt. lib. prodig. Anno Domini 1112.

Aliquando fit bicorporeum ſuperius vel inferius, ſicut accidit de eo, qui fuit natus Cracouiæ cum duobus capitibus, & poſtea continuata erant duo corpora in collo & in dorſo vtriuſque, & inferius videbatur vnum corpus. Albert. Comment. ad librum 2. Phyſicorum Ariſt.

In agro Florentino natus puer bicorpori effigie: geminis capitibus, quaternis manibus, circa genitales partes connexus, ſic quod non amplius quam in geminos pedes deſineret, viderunt illic omnes. Ad nos autem, qui tunc in Gallia degebamus per amicos ciues imago picta tranſmiſſa eſt. Ingenſque ſolius ad picturę ſpectaculum concurſus hominum fuit. Septimum ætatis annum agens, genitorem meum vidi tabellam eiuſmodi in manibus tenentem. Sciſcitatus quid eſſet? Rem omnem eo monſtrante didici: & aure conuulſa meminiſſe iuſſus: enarraturus filiis, vt ipſe dicebat, meis. Ego autem & nepotibus renarro. Et hic quidem partus diebus (vt perhibent) paucis vixit. Franc. Petrarcha lib. 4. cap. 21. de rebus memorandis.

Hac Petrus Pauluſq; vno ſub corpore bini
Fabrica naturæ mira iacemus humo.
Cuiq; ſuum fuit & manuum: fuit oris opuſq;
Veſica: aſt vnum ventris opuſq; fuit.
Iunxere extremæ partes nos corporis ambos,
Quas neuter ſimul & dicat vterq; ſuas.
Neutra ex parte pedes, capita ex vtraq; fuerunt
Bina, ſed è medio corpore planta fuit.
Bina fuit medio quæ corpora planta deorſum
Pendebat: ſurſum quinta erat vna manus.
Non vero nobis vnus ſomnuſq; cibuſq;
Nec riſus nobis: fletus & vnus erat.
Somno membra dabat vnus, ridebat & alter,
Surgebat q; vnus, flens quoq; & alter erat.
In Florentina natos nos fluminis Arni
Valle dedit patriæ, nos pia cura patris:
Inde alti: & ſacro pariter de fonte lauati,
Viximus ambo decem, bis totidemq; dies.
Quid nunc Neptunum: quid nunc Ianumq; bifrontem
Miraris? ſtygii terna quid ora canis?
Et quid Geryonis tria corpora? ſcilicet vnum
Nos corpus binas nos animaſq; lege.

Idem de eodem monſtro tractatu 7. cap. 2. eiuſdem operis. Effigies mõſtri huius natiuum comitatu Florentinorum ſculpta eſt in hoſpitali ad ſcalas.

las. Lycoſthenes ad annum Domini 1310. retulit. In oppido Germaniæ Rottwil ad Herciniam ſyluam ſito infans duobus capitibus, quatuor manibus, duobus pedibus natus eſt.

Idem lib. prodig. anno Domini milleſimo quadragenteſimo nonageſimo quarto.

Ante annos aliquot (nimirum 1489. vt annotauit Cornelius Gemma) in ditione Werdenberga, monſtrum fœminei ſexus natum eſt capitibus duobus, brachiis quatuor, pectore & ventre vno, pedibus duobus Eucha. Rhodion lib. de partu hominis cap. 3. & Iacob. Rueff. lib. 5. cap. 3. de conception & generat. hominis.

Anno Chriſti ſupra milleſimum, quingenteſimum quadrageſimum tertium, altera à D. Catharinæ die, mulier quædam in pago Reinach, prope Baſileam, monſtroſum partum enixa eſt: ſuperna ſcilicet corporis parte geminos, at ventribus & pectoribus ad collum vſque concretos, ſed diſtinctis capitibus duobus, ſeſe inuicem contuentibus: & quatuor brachiis mutuo ſe complectentibus, genitali vnico, eodemque maſculo, ano item vnico: reliquo inferioris corporis trunco ſimplici, in duos ſolum pedes deſinente. Ex his alter mortuus, alter viuus in lucem prodiit, qui tamen horam vnicam non ſuperuixit. Similis partus alius Anno Chriſti 1063. in Vngaria viſus eſt, cæterum fœminei ſexus. Munſterus Coſmographiæ libr. 3. Edit 1564. pag. 50.

Monſtrum noui generis in Scotia natum eſt, inferiore quidem corporis parte ſpecie maris, nec quicquam à communi hominum forma diſcrepans, vmbilicum vero ſupra, trunco corporis ac reliquis omnibus membris geminis, & ad vſum atque ſpeciem diſcretis. Id rex diligenter & educandum & erudiendum curauit, ac maxime in muſicis, qua in re mirabiliter profecit, quin & varias linguas edidicit, & variis voluntatibus duo corpora ſecum diſcordia diſſentiebant, ac interim litigabant, cum aliud alii placeret, interim veluti in communi conſultabant. Illud etiam in eo memorabile fuit, quod cum inferna crura lumbive offenderentur, commune corpus vtrumque dolorem ſentiret, cum vero ſuperne pungeretur, aut alioqui læderetur, ad alterum corpus tantum doloris ſenſus perueniret, quod diſcrimen in morte fuit magis conſpicuum. Nam cum alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuiſſet, quod ſuperſtes fuit, dimidio ſui computreſcente paulatim contabuit. Vixit id monſtrũ annos viginti octo, ac deceſſit, adminiſtrante rem Scoticam Ioanne

prorege. Hac de re ſcribimus eo confidentius, quod adhuc ſuperſint homines honeſti complures, qui hæc viderint. Georgius Buchananus Scoticæ hiſtoriæ lib. 13.

MONSTRA SVPERNO SVI *corporis trunco ſimplicia ſeu vnicorpora: at inferna parte duplicia ſeu bicorpora.*

Contigit in Italia non longe ante iſta tempora, viſum eſt monſtrum in ſpecie humana, ſexu muliebri figuratum, continuum vſque ad pectoris cauitatem, & ab inde duplex exſtitit perfecte: quod fuit optime tantatiuum, & huic ſimile dicit ſe vidiſſe Haly in tech. de cauſis. Petrus Apponenſis Comment. ad problema 62. Partic. 10. Ariſt.

Aliquando fit bicorporeum ſuperius, vel inferius, ſicut accidit de eo, qui fuit natus cum duobus capitibus, & poſtea continuata erant duo corpora, in collo, & in dorſo vtriuſque, & inferius videbatur vnum corpus. Aliquando autem viſus natus eſt econtra, qui quatuor habuit crura: & vnicum & continuum corpus apparuit in ſuperiori parte, quod abſque dubio contigit ex diuiſione ſpermatis in matrice. Albertus comment. ad ca. 2. lib. 2. Ariſtot.

PVELLA SVPERIORE CORporis parte ſimplex, inferiore duplex.

54.

Bernæ in Italia puella nata eſt, vno capite, duabus poſterioribus corporis partibus, totidemque membris. Lycoſthenes de prodig. Anno Domini milleſimo quadrageteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

PAR-

PARTVS MONSTROSVS VSque ad genitales partes bicorpor, cruribus & pedibus ſimplex.



CIrca hæc tempora in agro Florentino puer natus bicorpori effigie, geminis capitibus, quaternis manibus, circa genitales partes connexus, ſic vt non niſi in geminos pedes deſineret. Et hic quidem partus, diebus (vt perhibent) paucis vixit. Lycoſthen.

BICIPITIA MONSTRA, QVÆ VNA VEL manibus, aut pedibus, vel vtriſq; ſimul monſtroſè conformata fuerant.

C Lælio, L. Domitio Coſſ. puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina fœminea natura, mortua nata. Iulius Obſequens

PRO-

PRODIGIOSVS INFANS BICEPS, *tribus manibus, & totidem pedibus.*

56.

IN agro Tigurino natus eſt infans ei plane ſimilis, qui in Heluetiis etiam in pago Goſſouu, ante ſexennium natus eſt, vno ſcilicet corpore, duobus capitibus, tribus manibus, totidemque pedibus. Lycoſthenes lib. prodigiorum, Anno Domini milleſimo quingenteſimo trecenteſimo ſexto.

GEMINI, PECTORIBVS ET *ventre cohærentes, abſq; ſecreto ſexum prodente.*

57.



Viv-

VIgeſima ſeptima die decembris, qui Diuo Stephano ſacratus eſt, in pago Freywerck, non procul ab Adorffio Voitlandiæ oppido, biceps infans, quatuor manibus ac pedibus totidem, abſque ſecreto ſexum prodente (cuius tamen loco vmbilicum habebat) à fabri cuiuſdam ferrarii vxore natus eſt. Idem anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimo quinquageſimo quinto.

INFANS MONSTROSVS BICEPS, quatuor brachiis, totidem pedibus, & ventre vno.

58.

NOn procul à Lipſia biceps infans, quatuor manibus totidemque pedibus, vno autem corpore tantum, natus eſt. Idem ſub annum Domini milleſimum quingenteſimum, quinquageſimum ſextum.

L IN-

INFORMIS HVMANVS PARTVS,

duobus capitibus, quatuor brachiis, manibus totidem, pedibus tribus, cateris prodigioſe conformatis.

59.

60

59





ANno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo in Anglia, non procul ab Oxonia, informis quidam partus natus eſt, capitibus duobus, brachiis quatuor, manibus totidem, ventre vno, membro muliebri, ſede vna. Ex vna parte pedes tranſuerſi duo erant. Ex altera vnus tantum rite exporrectus, forma duorum pedum, digitos habens decem. Horum alter diebus quindecim, alter vero vno ſuperuixit. Lachrymarunt hoc tempore raro. Alter ex his lætus admodum, alter vero ſomniculoſus & triſtis exſtitit, viginti digitos tranſuerſos erat longitudo & latitudo ipſorum. Iacob. Rueff. de concep. & generat. hominis lib. 5. ca. 3 Lycoſt. addit 3. Auguſti inter decimam ac vndecimam noctis horam Mildeltoſtoni in Anglia natum.

MONSTRVM HVMANVM BIFRONS *ſexus vtriuſq;, cæteris omnibus membris prodigioſe conſtitutis.*

60.

GEneuæ an. 1555. apud Allobroges monſtrum, ex Galla quadā muliere, Geneuæ tunc habitante, natum eſt: quod materiæ redundantis indicium fuit. Id monſtrum binas habuit facies, hoc eſt, bifrons erat, qualem Ianum pinxit antiquitas. Quod vtrimque pendet inflatum, inteſtina ſunt ex dorſo prodeuntia. Quod autem ex ventris inferiore parte pendet, id iecur eſt, è fœminæ vulua prolapſum. Monſtrum hoc vtrumque habet ſexum, ad dexteram mas eſt, ad læuam fœmina. Crura quæ iacere ſeparatim vides, ſic diſcerpta, avulſaque ex ipſa matre, dum eniteretur, fuerunt. Ad vivum expreſſit Gaſpar Maſcrius pictor, qui tum ibidem cum multis aliis aderat. Lycoſth.

TOTO CORPORE, AVT PLERISque ſui partibus monſtroſus natus infans.

IN Thracia, paulo ante Mauritii Romanorum Regis obitum, mulier portentum genuit monſtroſum prorſus, naturæque ipſius piaculum. Oculis namque, palpebris & ſuperciliis caruit, neque vel reliqua corporis conſtitutione formam & effigiem iuſtam habuit: quippe cui neque manus neque brachia eſſent, & cui ad coxendices cauda piſcis illis innata dependeret. Quod portentum vbi Mauritius Imperator vidit, interfici id iuſſit, gladiumque ſtatim exoſculatus eſt. Mater autem, quæ monſtrum ipſum protulerat, quandoquidem ſua culpa ad inopinatum miraculum nihil contuliſſet, crimine abſoluta eſt. Lycoſthenes prodigiorum lib. anno Domini 601.

INFANS HORRENDO ASPECTV, *contuſis & laceratis membris, capite quaſi pileo Turcico.*

61.





IN Saxonia menſe Februario infans natus eſt horrendo aſpectu, corpore quidem integro & bene compacto, ſed contuſis, laceratis, & laxatis membris omnibus excepto capite oblongo, ac quaſi Turcico pileo inſignito. Idem lib. prodig. anno Domini 1545.

PARTVS MONSTROSVS ABSQVE *dorſo & ventre, cui inteſtina nuda dependebant, totus prodigioſus.*

62.

IN Ploa Voitlandiæ oppido infans natus eſt monſtroſus, in eo enim neque dorſum, neque venter apparuit, præterquam quod inteſtina circa pectus

pectus ex aperto corpore longe dependerent, pedes verſus caput inclinauit, vmbilicum in mola ſiniſtræ tibiæ habuit, capite fuit acuminato ad ſimilitudinem cidaris aut tyaræ. Idem lib. prodig. anno Domini 1547.

SINE CVTE NATVS.

LVdouicus Vngariæ & Boemiæ Rex, ſine extrema cute, quam ἐπιδερμίδα vocant, editus eſt Arteque & inunctionibus ea producta, vel adoleſcens canos aliquot alebat capillos. Vnde aliqui non diu duraturum regnum, portendi, ſunt arbitrati. Sambucus in appendice Bonfinii.

INFANS EDITVS, HABENS IN VENtre prominentem cultrum.

63.



ANte bellum Germanicum, quod Carolus Quintus Imperator, aduerſus Ducem Saxoniæ & fœderatos geſſit, vt Marcus Frytſchius in Meteorologicis refert, natus eſt infans in pago quodam Francorũ, cui exempto ex aluo matris culter iacuit in ventre, eminens cuſpide extra ventrem, qui & paulatim facta ſuppuratione extractus eſt. In ſuis Chronologicis Lycoſthenes.

PALLIO CARNEO AMICTVS NAtus quidam.

64.



BRemopirgi Marchiæ vrbe infans natus eſt, ita in corpore circumflua & laxa carnis mole, vt indutus ſago militari germanico crederetur. Iobus Fincelius de miraculis.

PVEL-

PVELLA NATA MAMMILLIS PENDVlis, pilis alarum atq; pubis ornata, cui etiam menſtrua recens natæ fluerent.

MEis temporibus præſentata fuit puella, quæ nata fuit dependentibus vberibus:& cum pilis inguinis & aſcellarum:& fatebatur mater eius etiam, quod patiebatur reſolutionem menſtruorum, quod abſque dubio accidit propter fortitudinem caloris formantis & maturantis. Albertus Magnus Comment. ad lib. 2. Phyſic. Ariſtot.

FOETVS MONSTROSVS ET PRODIgioſus totus.

MArgareta Heckelin ciuis Paſſauienſis, anno Domini 1590. fœtum enixa eſt monſtroſum & horrendum: capite felis, oculis in fronte triginta, pedibus ſex, brachiis quatuor, digitorum manus loco vngulis vitulinis, pedibus omnibus digitatis, & vnguibus recuruis, præpilatis, forma prorſus cacodæmonis, cauda vitulina, corpore ſcabro & carnoſo, voce qualis capræ, id eſt, vanelli vulgo dicti auis. Tetrum hoc animal ſimul atque in lucem prodiit, conclaue velociſſimo curſu pererrauit: id mulieres aduocatis in ſubſidium vicinis, captum interfecerunt. Viſumque fœdum & abominabile monſtrum iſtud aliquot centum hominibus.

MON-

MONSTRVM INAVDITVM ET HORribile, *quale vix ætas vlla vidit, informe & immane.*

65.



RAuennæ natum eſt monſtrum, cornu in capite, alas habebat, brachia nulla, pedem vnum, vt auis rapax, oculum in genu, ſexum vtrumq;, in medio pectore Ypſilon, & crucis effigiem. Aliqui interpretati ſunt cornua ſuperbiam, alas leuitatem & mentis inconſtantiam, carentiam brachiorum, defectum bonorum operum, pedem rapacem, rapinam, vſurã, & omnimodam auaritiam, oculum in genu ſolum, ad res terrenas mentis defectionem, vtrumque ſexum, ſodomiam: & propter hæc vitia Italiam ſic bellicis contritionibus quati, regem autem Franciæ non ſua virtute id facere, ſed ſolum eſſe DEI flagellum. Ypſilon vero & X. ſigna eſſe ſalutis, nam Y figura eſt virtutis. Ideo ſi ad virtutem recurrant, & ad Chriſti crucẽ, ab his preſſuris & tribulationibus reſpirationem & pacem conquaſſationibus deſiderabiliorem ſint habituri.

Hæc

Hæc legimus apud Ioannem Multivallem ac Caſparum Hedionem in hiſtorica ſynopſi poſt Sabellicum ad noſtra vſque tempora. Verum & aliam eiuſdem mõſtri effigiem,ſed paulo diuerſam,ac priori non in omnibus reſpondentem,cum interpretatione carmine expreſſa, vidimus. Lycoſthenes de prodig. & oſtent.

MONSTRVM EIVSMODI HORRENdum aliud.*corona ſacerdotali,cucullo monaſtico,ventre & pedibus vitulinis,cæteris partibus monſtroſe conformatis.*

66.



ANno poſt Chriſtum natum ſupra milleſimum quingenteſimo vigeſimo ſecundo,duodecimo die menſis Decembris, Friburgi in Miſnia,à patre Lanione horrificum hoc monſtrum,cuius iconem eo auidius appoſuimus, quod eſſet longe ſtupendium & admirandum,natum eſt.Erat colore nigro ſpectabilé,referens multis notis virum monachum.In ca-

pite enim corona sacerdotalis exſtabat, & cucullus monaſticus de humeris dependeba. Pedibus, manibuſque, ventre etiam repræſentabat ſuem, vitulinis vngulis. Id monſtrum Dux Henricus Friburgi, in memoriam ſempiternam, furno exſiccari curauit, vt eius monſtrifici partus in multos annos proſtaret teſtimonium & ſceleton.

MONSTRVM HVMANVM, INFORME, *horrendum, & omnibus modis prodigioſum.*

67.


CRacouiæ natus eſt infans ex honeſtis & nobilibus parentibus, teter admodum & horribilis aſpectu, flammeis & radiantibus oculis, ore naribuſque bouinis, cornu figura exortis & prominentibus, dorſo pilis caninis hiſpido, ſimiarum faciebus in pectore extantibus, qua mammarũ locus, oculis felium ſubtus vmbilicum hypogaſtrio adfixis, tetris ac minacibus canum capitibus ad vtrumque cubitum & pedis vtriuſque patellã antrorſum ſpectantibus ςεγανόπους & ςεγανόχειρ, figura pedũ cygni, cauda ſurſum reflexa, & recurua, longitudine vlnæ dimidiæ editus in lucem quatuor horas vixiſſe & tandem his emiſſis vocibus: Vigilate, Dominus DEVS veſter aduentat, expiraſſe dicitur. Hoc monſtrum deſcribit Caſparus Peucerus de Teratoſcop. & Munſterus in Coſmographicis: elegantiſſimo autem carmine Caſparus Bruſchius. Idem Lycoſth. de prodig. & oſtentis anno 1543.

HISTORIA

LIthopædion, admirationem omnem ſuperans, qua fœtus exacte conformatus, & viginti octo annis in vtero geſtatus, in marmoream duritiem conuerſus: atque à matris obitu per ſectionem exemtus, vel hodie quoque nullius putredinis aut teredinis notam præbens, conſpicitur.

A. Figura & ſitus infantis in vtero.
B. Infans extractus cum parte vteri & tunicarum.
C. Corpuſculum, in quam dimenſionem potuimus, extenſum.

HVMA.



M 2 Mu-

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

MVlier Senonenſis, nomine Columba Chatry, quæ Ludouico Carita homuncioni (quadrato tamen & bene habito) ex vulgari plebe & ſartori veſtiario nupſerat, ab annis quadraginta octo, fracta ætate & valetudine, hic occubuit decimo ſexto Menſis Maii, annum ætatis agens ſexageſimum octauum.

Hæc ante annos viginti octo, quæ nunquam antea vterum geſtarat, licet iam pridem nupſiſſet (nihil de ſanitate prius admodum cõqueſta) certiſſima habuit incoati hominis indicia. Nam qui ſtatis periodis erumpere ſolent menſes, illi ſtatim ſubſtiterunt. Pica primis menſibus laborauit, tẽpeſtiuum embryonis motum & frequentem perſenſit, tumore lumborũ & abdominis paulatim ſuccreſcente, mammiſque lacte turgentibus. Tãdem autẽ decurſo pene geſtationis curriculo, labores puerperii graues, & abdominis dolores experiri incæpit, vrina ad aliquot dies ſuppreſſa (Medicis tunc varia & dubia de illa κυοφορίᾳ ſentientibus) quæ poſtea currenti veluti alueo & magna vi eripuit, profuſo illo ichore, non tamen ex veſicæ meatu, vt credibile eſt, ſcaturiente, quæ ex mulieris loculis, Amnio tunica diſrupta, cum vna cum iſtis ſeroſis recrementis (quas mulierculæ aquas vocant) aliquis concreti ſanguinis trumbus emerſerit. Inde autem & mammæ concidere viſæ ſunt, motus infantis aut ignauus, aut nullus, labores mulieris tollerabiliores. Quibus omnibus attonitæ fuerunt obſtetrices, quæ antea certiſſimum puerperium expectaſſent.

A ludibrio autem iſtius fæturæ, totum triennium lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conqueſta, de tumore, de duritie, de torminibus alui (quam obuiis quibuſque & chirurgis & medicis tractãdam exhibebat) de inutili & graui illo pondere, quod pro vario geſtantis motu, modo in hanc, modo in illam partem procumbebat. Denique de languente & deprauata appetentia, quam ſubinde acetariis, & abſorpto omphacio ſollicitabat, alioqui perpetuo ἄσιτος. Illãque ferunt vicinæ inter ſuos ſales ſæpè dictitaſſe (vt erat genio ſatis lepido) ſe fœtum vtero gerere, qui tandem parenti foret exitio & internecioni, quanquam cum ſerio loqueretur maleficium acceptum potius accuſaret.

Poſtquam autem fato eſſet functa, eius vir officioſus in vxoris manes, (quam tamdiu, & tantopere excruciatam viderat) accerſiuit vnum atque alterum ex noſtris chirurgis, ambo valentes arte & artis vſu, quibus (licet de ſcirrhoſo tantum tumore cogitarent) diſſecto mulieris abdomine, & reiecto infra peritonæo, vterus ſeſe offert, aſpectu quidem rugoſus, & verrico-

ſicolor, vt criſta illa pendula, quæ Gallis Indicis ex ſummo capite prolabitur, vel potius, vt operimentum illud cutaneum, quod illorum collum ambit. Tactu autem durus, teſtaceus, & inſtar τῶν ὀστρακοδέρμων. Tum nouaculam in portentoſam illam molem & gypſeam iniiciunt, qua ad aciem cultelli renitente, ſcalprum altius adigunt. Eorum autem alter inflicto caſu in cranium vulnere, & in aliquot coſtas, tandem humerum dextrum impetit, à quo erumpens oſſis caput, certiſſimam fidem fecit oſſium illic latitantium. Ex quo ſcalpellum alio transferunt, & magna vi, ſenſim tamen & recta vterum ſecant, diductiſque duriſſimis vulneris labris, infantem in orbem implicitum, & ex tranſuerſo in vtero poſitum introſpiciũt, in penitiſſimo ſinu, & altiſſimis latebris ſtabulantem, in ſuamque veluti Cyſtin, quam allantoidem tunicam fuiſſe puto, calloſiſſimam reconditum.

Quo ſpectaculo inexſpectato obſtupefacti, medicos conuocant, quos in re inaudita conſulant, adhibeantque in teſtimonium, & iudicium rei huius, quæ pene fidem omnem ſuperet. Interea multis ad nouum prodigium accurrentibus, & opus Chirurgorum interturbantibus, venit ipſis in mentem, totam iſtam molem ex illo veluti antro, & manibus & vncis chirurgicis, qua valerent, vi abſtrahere, vt arborem ex ſuo caudice, domumque comportare, vt priuatim, & apud ſe accuratius corpuſculi anatomen ſectarentur, & cum peritis de portento nouo & inaudito conſilia conferrent.

In præcipiti autem, & violenta illa laniena non licuit opus feſtinantibus introſpicere, quod ſubſtratum eſſet infantulo Chorion, quæ vteri acetabula, qualia Vmbilici vaſa, quis eſſet Allantoidis cum vtero & cum fœtu nexus, cum vterus ipſe, præcipue ad coxam dextram, ad nates & ad partem ſpinæ dorſi cum cute infantuli omnino coaluiſſet.

Situs infantis erat pæne ſphæricus facie ad thoracem affixa, ſublatis ad nates genibus, vnde poſtea eæ patulæ retuſæ & reſimæ conſpectæ ſunt. Oſſa capitis tenuiâ quidem, ſed firma & inſtar cornu nitentia, cute capitis multis in locis piloſa, caput in ſiniſtrum brachium ita procumbebat, vt à protuberante humero auris & os occipitis impellerentur, quod incauatum ea parte introceſſiſſe conſpicerentur. Cubitus ad ſummum humerũ reflectebatur porrecta ſola manu, quæ in pugnum adeo firmiter contracta, & ſummi digiti ita palmæ hærebant, vt licet apparerent ſerratim inter ſe diſtincti, re ipſa tamen in vnum idemque vere lapideum corpus con-

creuiſſent. Dextrum autem brachium ad vmbilicum manum extendebat, quæ ad Carpum inaduertenter abſtracta fuit, & in aluo matris relicta. Femur, genu, tibia ſiniſtra, dextris incumbebant: quibus tamen erant ita implicita, vt talus ſiniſter, pediſque planta in dextrum pedion implantarentur, quibus excauatum cederet, & pæne indiſſolubili nexu colligarentur. Vtrumque crus in ventrem & pectus reflectebatur, certiſſimamque fœminei ſexus notulam tegebat, tibia vtraque ad nates intorquebatur, pedibus, & pedum digitis ita inter ſe compactis & lapidefactis, vt facto ex oculis & tactu iudicio, totum iſtud opus dixiſſes eſſe alicuius Phidiæ, qui vel ex ebore, vel ex marmore maturæ ætatis Embryi abſolutiſſimam Iconem expreſſiſſet, maxime cum in ea duricie corpuſculi moles non concidiſſet, imo cum cute nitida integram ſuam, & συμμετρίαν & πολυσαρκίαν retinuiſſet.

Partes autem internæ, viſcera nempe omnia, cor & cerebrum habebant naturaliter, eo dempto, quod vltra modum induruerant, minus tamen quam externæ, ita vt hodie quoque exſertum iſtud corpuſculum, neque putredinem minetur, neque teredinem. Ex quo poſtea dentem exemit inopinanter quidam obuius, qui prodigium contrectabat, vt dentis ſedem in ipſo alueario adhuc conſpicere liceat.

Ioannes Alboſius.

MON-

MONSTROSA LIENIS CONFORMATIO
in Milite Gallo adinuenta appendicis loco annexa.

69.

69



ICON

ICON MONSTROSÆ GIGANTEÆ STATVRÆ

Antonii Franckenpoint Geldri.

70.



ANtonius Frãckenpoint Geldrus origine, annũ agẽs nonũ ſupra trigeſimum, ſtatura gigantæa viſus eſt: cuius longitudo Lineam ſedecies repetitam (eam quam imagini ſubiecimus) exæquabat. Familiariter autem cum alibi, tum circa Argentinam vrbem, conuixit. Schenckius Filius.

FINIS.

DE

DE MONSTRIS BRVTORVM OBSERVATIONES MEMORABILES.



LEO PRODIGIOSO CAPITE, *humano videlicet.*

71.



IN agro Conſtantienſi mulier humano capite Leonem peperit. Conradus Lycoſthenes Chronologicus opere ſuo de prodigiis & oſtentis.

EQVVS MONSTROSVS, CApite humano.

72.

BEſtiam quandoque vidi ex equa progenitam, humano capite, humanam vocem edentem, ad reliqua tamen equum. Pictorius ſerm. conuiual. lib. 4. p. 8. 5.

EQVVS HVMANA FACIE.

CVm ad montem Altinum collatis Florentinorum & Piſanorum ſignis decertatum eſt, monſtrum in agro Veronenſi æditum, ex Equa quadrupedem fœtum humano capite. Ad cuius murmur, vagitum & cõfuſum humanæ vocis ſonitum occurrens ruris illius accola, & nouo attonitus ſpectaculo execto ingenti gladio monſtrum occidit; quam ob cauſam ad iudicium tractus & de monſtruoſi partus origine & de occidendi cauſis interrogatus horrore atque abominatione rei tantum ſe feciſſe reſpondit, quo audito ſuſpicionem omnem ademerunt. Lycoſthen. pag. 438 de Prodig. & Oſtentis.

EQVA PVLLVM PEPERIT *humana facie.*

ANno Domini 1254. Veronæ equa pullum peperit, cætera quidem equum, ſed humana plane facie Paulo poſt bellum inter Turcos & Piſanos exarſit, quo vniuerſa fere Italia conflagrauit. A. Pare⁹, operum ſuorum lib. 24. p. 732.

EQVVS POSTERIORI PARte ceruus.

IN Gallia equa à ceruo ſubacta, pullum peperit, poſteriori parte Ceruæ ſimilem, quem nullus alius Equus curſu æquare potuit, ipſumque Ludouv. Rex à poſſeſſore dono accepit. I. Rueffius lib. 5. c. 3. de concept.

EQVVS HERMAPHRODITVS.


EQuum vidi androgynum Antuerpiæ & canem, qui intus teſticulos habebat, ad venerem. n. promptus erat, nec tñ teſticulos habebat, qui tangi poſſent. Ambo autem erant amicorum. Sed equi præſtat formam deſcribere: is erat Principalli Vicecomitis, vnum habebat tantum teſtem loco proprio, cum mammis tumidis, vt equæ habent. Inde vuluam proprio loco: & ex vulua penis emittebatur. Hinniebat ad equas, & forma maſculina erat, promptus & erectus capite, craſſiore autem corpore, colore gryſeo (vt vocant) caput magnum, penis. n. maior palmo cum illum exereret. Emptus aureis 36. certum erat cum auerſo eſſet pene, illum coire non poſſe. Card. l. 7. c. 37. de Variet.

EQVVS ANTERIORIBVS PEDI-bus ſimilimis humanis digitis.

C Iulius Cæſar cum Luſitaniæ præeſſet,equus inſignis fiſſis vnguibus anteriorum pedum,& propemodum digitorum humanorum, natus eſt ferox admodum atque elatus.Quem natum apud ſe,cum aruſpices imperium orbis terræ ſignificare domino pronunciaſſent,magna cura aluit.Nec patientem ſeſſoris alterius, primus aſcendit. Cuius etiam ſignũ pro æde Veneris genitricis poſtea dedicauit,&c. Lycoſth.

EQVVS QVINQVE PEDI-bus natus.

73.



Bernæ Heluetiorum equuleus quinque pedibus viſus, & apud nos Baſileæ Rauracorum bos,à quodam circulatore quinq; pedibus circumductus eſt.Chronic.Lycoſth.1551.anno dom.

M. Æmylio & C. Hoſtilio Mancino Coſſ. Exquiliis equuleus cum quinque pedibus natus. Obſequens.

PVLLVS EQVINIS PEDIBVS, CÆTERA vaccinus.

IN Heluetiis equa à tauro ſubacta, exacto tempore, pullum peperit, equinis tantum pedibus, forma vero, crinibus & cauda vaccæ ſimilem. Rueffius l.5.cap.3.de concept.

EQVI TOTO CORPORE MVLTIFAriam monſtroſi, deſcriptio.

IN villa Pomeraniæ Rekouu vicina Rugio, ad oſtium Viadri, equi pullus natus eſt capite horrendo, in cuius loco oculorum maculæ erant ſubruffæ, aures pendulæ, quales ſunt canum ſagacium: infimis auriculis cuti accretis. Os quoque erat monſtroſum, labris inflexis, quemadmodum duæ tudiculæ compoſitæ, vt lactari non poſſet. Collum erat tortum, & ſinuoſum diſtinctis coloribus, tamquã catenis variarum. Iuba erat impexa, plena plegmatibus. Quando hinniebat, putabatur hinnire ingens caballus, ac ſi qui forte ex nobilibus accederent, toto corpore mouebatur, terrãque pulſabat, tanquam in rabiem verſus, & quaſi impetum in ipſos facturus.

Erectus ſtabat, hinnitu terribilis. Ciues & colonos ferre poterat, quibus acceſſum liberum permittebat. Cutis erat aſperior, veſtis villoſa. Loco caudæ alta criſta erigebatur, cũ mortuo pullo. Pes imus anterior, vnus erat humanus, alter nullus erat, ſed tantum tibia manca. Pedes poſteriores erãt equini. Triduum viuebat, deinde extinctus in triuio ſepeliebatur. I. Fincelius. Accidit hoc anno Domini 1554.

EQVVS EX TAVRI CVM EQVA congreſſu natus.

GEſnerus à fidedignis audiuit, viſum equum ad radicem montis Spelungi in Rhetia, ex equa & tauro generatum. Porta M.N.l.1.c.9.

EX BOVE EQVVS NATVS.

Ad Sinueſſam bos equuleum peperit. Liuius decad.3.l.3.

QVA-

QVADRICORNIS CERVVS.

CErvum quadricornem Nicocreon Cyprius habuit, citante B. Porta magn.nat.l.2.c.17.

BOS BICEPS.

IN eo bello, quod Romani contra Perſas geſſerunt, plurima prodigia, Rom.futuras clades portendentia tum viſa ſunt: bos & recens natus, in initio belli conſpectus eſt, ex cuius ceruice duo capita eminebant. Lycoſt. an.Dom.573.

BOS QVINQVE PEDIBVS *monſtroſus.*

74.

AIt Conradus Lycoſthenes, opere ſuo de prodig.& oſtent.circumductum eſſe bouem à Circulatore quodam, quinque pedibus, quorum quintus pes ſupra poſteriores è latere dependebat.

BOS SERPENTEM ENIXA.

MOnſtra hoc anno plura diuerſis in locis natura edidit, In agro ſenogalienſi, in Piceno, bos quendam ſerpentem peperit miræ magnitudinis; capite erat groſſiori, quam ſit vituli, collô longo ad menſuram vlnæ, corpore cani ſimilis terete & longiore.

Hunc editum cum bos conuerſa reſpexiſſet, magnoque mugitu edito exterrita, an fugere vellet, erectus ſerpens ſubito poſterioribus cruribus cauda circumdatis ad vbera ôs admouit, tamdiu ſugens, quoad lac inerat vberibus. Deinde boue relicto ad ſyluas vicinas aufugit: vbera poſtmodum, & ea crurium pars, quam ſerpens cauda tetigerat, veluti adusta nigraque diutius permanſerunt. Hoc paſtores (nam in armento bos erat) ſe vidiſſe affirmarunt, bouemque vitulum poſtea peperiſſe, Idque ex literis Ferrariam nunciatum. Poggius.

MONSTRVM A VACCA PRONA-*tum, humana facie, barba humana, & humano pectore.*

75.



VIceſimo quarto Iulii deforme monſtrum vacca enixa eſt, in pago Cleisdorff, diſtante tria miliaria à Pabenberga, quod Fincelius quoque deſcripſit, pedes habuit quatuor vitulinos, caput humanum virile, atra barba, geminis auribus humanis, & modicis capillis, pectus item humanum & mammoſum. Lycoſth. opere ſuo Chronologico.

VACCA DVOS HVM. FOETVS *enixa.*

ANno 1597. in Burgies, Hiſpaniæ loco, Vacca, marem & fœminam humanos fœtus, ſuis membris appoſite formatos & diſtinctos, enixa proditur,

ditur, vti aliquoties ad nos Venetiis perſcriptum eſt. Quæ res omnibus & ſtupori & metui erat maximo. Eos ad ſacri fontis characterem nullo modo admittere voluit eius loci Archiepiſcopus. Iaco. Francus relat. hiſtoric. anno 1597.

VITVLVS BICEPS, OCVLIS quatuor.

76.

DVm Comitia Imperialia Auguſtæ Vindelicorum, à Sereniſſima Romanorum Regia Maieſtate Ferdinando celebrantur, ſeptem miliaribus ab Auguſta vrbe naſcitur vitulus, Maii vigeſimo primo die, in pago quodam Leder nomine, habens duas facies, oculos quatuor, duos quidem in fronte anteriori, in lateribus vero alteros, per omnia alioquin in membris quidem ſingulis vero vitulo perſimilis, qui inſuper quamprimum in lucem editus eſt, animam actutum efflauit. Marcus Fryſchius in Meteologicis.

VACCÆ VNICO CORNV.

LVd. Bertheme C. 2. L. 4. Navig. ſuar. in Inſula Zeilam vaccas aſſerit ſe vidiſſe vno tantum cornu præditas. Dalechamp. annot. ad c. 50. lib. 11. Plinii.

VACCA ANO IMPERFORATO.

VAccam fuiſſe Perinthi, cui cibi excrementum attenuatum per veſicam tranſmittebatur, ſcribit Ariſt. diſſectusque anus denuo propere coaleſcebat, inquit, nec reſecando euincere vitium poterant. Geſn. epiſto. ad Coſ. Holtzachium, Lib. Epiſt. 4 pag. 86. facie auerſa.

VITVLVS DVOBVS CAPITIBVS monſtroſus.

IN Agro Paduano, menſe Iunii, conſtat natum eſſe vitulum duobus capitibus, vnico corpore, poſterioribus, anterioribusque cruribus duplicatis, ita tamen vt eſſent coniuncta. Hoc monſtrum quidam ad quæſtum circumferebant, multique id vidiſſe affirmabant. Poggius.

Wilæ in Turgauiæ oppido vitulus biceps procreatus eſt, & eiuſdē oppidi portis per dies plures, ſpectaculi gratia, affixus eſt. Lycoſth. anno domini 1433.

Vitulus biceps naſcitur menſe Decembri anno 1551. in Schinna pago, quem longum nominant, proxime Friburgum. Chronic. Lycoſth.

MONSTROSVS BICEPS VItulus.

77.



ANno Dom. 1541. in Sardinia inſula, ea ipſa nocte, qua Carolus Quintus Romanorum Imperator in Mauritaniam ſoluturus venerat, vitulus duobus capitibus in oppido Lagara natus eſt. Idem opere ſæpius citato.

Anno poſt Chriſtum natum milleſimo, quadragenteſimo, nonageſimo nono, vitulus prodigioſus duobus capitibus, ante, & poſt, Cracouiæ natus. Idem.

VITV-

VITVLI BICIPITIS DEſcriptio.

ANno Domini 1540. Mediolani vitulus biceps natus eſt, habebat autem capita perfecta duo, vnumquodque habuit ſuam linguam, ac dentes, nares, oculos, aures, ſed iuncta erant capita in occipitio, quorum vnum maſculi rotundum, alterum fœminæ oblongum, ſpeciem diuerſi ſexus præſeferebant. Animal, vitula erat exenteratum, at matre exciſum: occiſa quod diutius partum traheret, quā vt ſeruari poſſit. Superuixit, vt referebant, fœtus dimidio horæ, & erat in caupona Cancri. Translatum eſt eo anno regnum ad Caſ. Filium, qui vxorem habet, multiſque incōmodis à Gallis acceptis, quia Vitulus laborem ſignificet, & ſexus, multorū Ducum infelicitatem, & fugam, atque amiſſas abſque expugnatione Vrbes & arces, prouinciamque abſque prælio. Cardanus de Variet. lib. 14. cap. 75.

PRODIGIOSVS VITVLVS, DVObus corporibus, capitibus, caudis, ſed tribus tantum Oculis.

78.

BOnnæ inferioris Germaniæ, haud ignobilis, atque ad Rhenum quatuor miliaribus à Colonia Agrippina ſiti oppidi, decimo ſeptimo Calend. Iunii biceps vitulus, duobus ſcilicet corporibus, capitibus, caudis ſed tribus tantum oculis natus eſt: Lycoſth. ſub anno 1552.

VITVLVS BICORPOR NATVS.

DEcemb. 11. ann. 1572. prope Amſterodamum natus eſt in villa quadam Vitulus biceps, gemino dorſo, & octo pedibus, nec diu ſupervixit L. Surius Commen. rerum in orbe geſt.

VITVLVS PVRPVREA CORONA in latere natus.

DE Vitulo in ea villa, in qua Aurelianus Imp. natus eſt patre paupere, candore eximio, ſed in latere purpureis maculis depicta corona edito, vide Sabell. l. 1. c. 4.

VITVLVS CIRCA COLLVM ET ANteriores pedes collari inſignitus.

IN Marchia veteri, paucis ab hinc annis, vitulus in lucem prolatus, circa colli regionem, nec non anteriores pedes collari inſignitus. Andr. Angelus lib. de monſtris. c. 11. lib. 2.

VITVLVS PRIORIBVS DVOBVS pedibus deſtitutus.

79.



ANno 1556. prid. non. Ian. in Germaniæ pago quodam Epiſcopatus Dilingenſis, quem patria lingua Oberhauuſen vocant, Vitulus ex vacca, duobus tantum poſterioribus pedibus natus eſt, tantæ tamen velocitatis, vt corpore erecto currens, vitulos omnes facile ſuperaret. Lycoſth.

VITV-

VITVLVS SEXTIPES, CVI E latere maſſa carnis dependebat.

80.

IN Thuringiæ vico vitulus natus eſt ſextipes, maſſam carnis è latere dependentem geſtans. An. Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo. Lycoſth. Idem.

VITVLVS SEPTEM PEDIBVS, duobus capitibus caninis.

81.



ANno Domini 1269. Caliſſæ intra octauum diem natalis Chriſti natus eſt vitulus cum duobus caninis capitibus atque dentibus, ſeptem pedibus vitulinis, minus vero ad caudam ſitum erat.

Ab eius cadauere canes atque volucres abhorruere. Lycoſth.

MONSTRVM VITVLI ADMIrandum.

ANno Domini 1556. 3. Martii in oppido Bergerdoff, monſtrum natum eſt, aliqua ratione Vitulum referens. Sextipes erat, gemino capite, vno podice, diſiuncta autem erant corpora in longitudine, quorum vnum Orientem, aliud vero Occidentem ſpectare videbatur. Tres pedes huic, tres alteri inhærebant. Lycoſth. de prodig. & oſt.

ALIA PRODIGIOSA VITVLI conformatio.

AD oppidum Bitterfeld Vitulus in agro repertus, oculis, naribus & auribus humanis, vertice tōſo, & miniato, rictu & pectore vitulino, crurib. anterioribus vitulinis, poſterioribus humanis & breuibus admodum, ſed vtriſque deſinentibus partim in vngulas vitulinas, partim in humanos digitos, qui vngulis ſuberant & ſeparatim propendebant. Caſparus Peucerus.

VITVLOMONACHVS.

82.

VItulomonachus monſtrum terribile, natum Walterſodorfi vno à Fribergo lapide, pago ditionis Cellenſis, villa ruſtici, cognomento Stecheri, Lycoſth. an. Virginis 1523.

HISTO-

H I S T O R I A M E M O R A B I L I S
Vituli cum alterius Sceleto excluſi.

83.



VAcca partus difficultate impedita, cum fœtum conceptum parere minime poſſet, nihil grauius paſſa, poſt tem·us aliquod rurſum cō-cepit, & exacto tempore Vitulum viuum & ſceleton prioris Vituli, edidit. Mirum ſane potuiſſe eiuſmodi corruptionem vaccam perferre, & rurſum oſſibus prioris Vituli retentis, concipere nihilominus. Hæc oſſa vidi apud Generoſam Dominam de Rappoltzſtein in cuius oppido hæc acciderunt. Hanc hiſtoriam à C L. V. Felice Platero mihi communicatā ſubiicere placuit. Bauhinus in append. ad Rouſſetum.

A S I N V S T R I B V S P E D I B V S.

Anno mundi 3794. Calatiæ aſinus tripes natus. Lycoſt. Chron.

M V-

M.Æmylio & C.Hoſtilio Mancino Coſſ.Exquiliis equuleus cum quinque pedibus natus. Obſequens.

PVLLVS EQVINIS PEDIBVS, CÆTERA *vaccinus.*

IN Heluetiis equa à tauro ſubacta, exacto tempore, pullum peperit, equinis tantum pedibus, forma vero, crinibus & cauda vaccæ ſimilem. Rueffius l.5.cap.3.de concept.

EQVI TOTO CORPORE MVLTIFA*riam monſtroſi, deſcriptio.*

IN villa Pomeraniæ Rekouu vicina Rugio, ad oſtium Viadri, equi pullus natus eſt capite horrendo, in cuius loco oculorum maculæ erant ſubruffæ, aures pendulæ, quales ſunt canum ſagacium: infimis auriculis cuti accretis. Os quoque erat monſtroſum, labris inflexis, quemadmodum duæ tudiculæ compoſitæ, vt lactari non poſſet. Collum erat tortum, & ſinuoſum diſtinctis coloribus, tamquã catenis variarum. Iuba erat impexa, plena plegmatibus. Quando hinniebat, putabatur hinnire ingens caballus, ac ſi qui forte ex nobilibus accederent, toto corpore mouebatur, terrãque pulſabat, tanquam in rabiem verſus, & quaſi impetum in ipſos facturus.

Erectus ſtabat, hinnitu terribilis. Ciues & colonos ferre poterat, quibus acceſſum liberum permittebat. Cutis erat aſperior, veſtis villoſa. Loco caudæ alta criſta erigebatur, ẽt mortuo pullo. Pes imus anterior, vnus erat humanus. alter nullus erat, ſed tantum tibia manca. Pedes poſteriores erãt equini. Triduum viuebat, deinde extinctus in triuio ſepeliebatur. I. Fincelius. Accidit hoc anno Domini 1554.

EQVVS EX TAVRI CVM EQVA *congreſſu natus.*

GEſnerus à fidedignis audiuit, viſum equum ad radicem montis Spelungi in Rhetia, ex equa & tauro generatum. Porta M.N.l.1.c.9.

EX BOVE EQVVS NATVS.

Ad Sinueſſam bos equuleum peperit. Liuius decad.3.l.3.

QVA-

QVADRICORNIS CERVVS.

CErvum quadricornem Nicocreon Cyprius habuit, citante B. Porta magn. nat. l. 2. c. 17.

BOS BICEPS.

IN eo bello, quod Romani contra Perſas geſſerunt, plurima prodigia, Rom. futuras clades portendentia tum viſa ſunt: bos & recens natus, in initio belli conſpectus eſt, ex cuius ceruice duo capita eminebant. Lycoſt. an. Dom. 573.

BOS QVINQVE PEDIBVS *monſtroſus.*

74.

AIt Conradus Lycoſthenes, opere ſuo de prodig. & oſtent. circumductum eſſe bouem à Circulatore quodam, quinque pedibus, quorum quintus pes ſupra poſteriores è latere dependebat.

BOS SERPENTEM ENIXA.

MOnſtra hoc anno plura diuerſis in locis natura edidit, In agro ſenogalienſi, in Piceno, bos quendam ſerpentem peperit miræ magnitudinis; capite erat groſſiori, quam ſit vituli, collo longo ad menſuram vlnæ, corpore cani ſimilis terete & longiore.

Hunc editum cum bos conuerſa reſpexiſſet, magnoque mugitu edito exterrita, an fugere vellet, erectus ſerpens ſubito poſterioribus cruribus cauda circumdatis ad vbera os admouit, tamdiu ſugens, quoad lac inerat vberibus. Deinde boue relicto ad ſyluas vicinas aufugit: vbera poſtmodum, & ea crurium pars, quam ſerpens cauda tetigerat, veluti aduſta nigraque diutius permanſerunt. Hoc paſtores (nam in armento bos erat) ſe vidiſſe affirmarunt, bouemque vitulum poſtea peperiſſe, Idque ex literis Ferrariam nunciatum. Poggius.

ditur, vti aliquoties ad nos Venetiis perſcriptum eſt. Quæ res omnibus & ſtupori & metui erat maximo. Eos ad ſacri fontis characterem nullo modo admittere voluit eius loci Archiepiſcopus. Iaco. Francus relat. hiſtoric. anno 1597.

VITVLVS BICEPS, OCVLIS *quatuor.*

76.

DVm Comitia Imperialia Auguſtæ Vindelicorum, à Sereniſſima Romanorum Regia Maieſtate Ferdinando celebrantur, ſeptem miliaribus ab Auguſta vrbe naſcitur vitulus, Maii vigeſimo primo die, in pago quodam Leder nomine, habens duas facies, oculos quatuor, duos quidem in fronte anteriori, in lateribus vero alteros, per omnia alioquin in membris quidem ſingulis vero vitulo perſimilis, qui inſuper quamprimum in lucem editus eſt, animam actutum efflauit. Marcus Fryſchius in Meteologicis.

VACCÆ VNICO CORNV.

LVd. Bertheme C. 2. L. 4. Navig. ſuar. in Inſula Zeilam vaccas aſſerit ſe vidiſſe vno tantum cornu præditas. Dalcchamp. annot. ad c. 50. lib. 11. Plinii.

VACCA ANO IMPERFORATO.

VAccam fuiſſe Perinthi, cui cibi excrementum attenuatum per veſicam tranſmittebatur, ſcribit Ariſt. diſſectusque anus denuo propere coaleſcebat, inquit, nec reſecando euincere vitium poterant. Geſn. epiſto. ad Coſ. Holtzachium, Lib. Epiſt. 4 pag. 86. facie auerſa.

VITVLVS DVOBVS CAPITIBVS *monſtroſus.*

IN Agro Paduano, menſe Iunii, conſtat natum eſſe vitulum duobus capitibus, vnico corpore, poſterioribus, anterioribuſque cruribus duplicatis, ita tamen vt eſſent coniuncta. Hoc monſtrum quidam ad quæſtum circumferebant, multique id vidiſſe affirmabant. Poggius.

Wilæ in Tu'ga iiæ oppido vitulus biceps procreatus eſt, & eiuſdē oppidi portis per dies plures, ſpectaculi gratia, affixus eſt. Lycoſth. anno domini 1433.

Vitulus biceps naſcitur menſe Decembri anno 1551. in Schinna pago, quem longum nominant, proxime Fribergum. Chronic. Lycoſth.

MONSTROSVS BICEPS VItulus.

77.



ANno Dom 1541. in Sardinia inſula, ea ipſa nocte, qua Carolus Quintus Romanorum Imperator in Mauritaniam ſoluturus venerat, vitulus duobus capitibus in oppido Lagara natus eſt. Idem opere ſæpius citato.

Anno poſt Chriſtum natum milleſimo, quadragenteſimo, nonageſimo nono, vitulus prodigioſus duobus capitibus, ante, & poſt, Cracouiæ natus. Idem.

VITV-

VITVLI BICIPITIS DEſcriptio.

ANno Domini 1540. Mediolani vitulus biceps natus eſt, habebat autem capita perfecta duo, vnumquodque habuit ſuam linguam, ac dentes, nares, oculos, aures, ſed iuncta erant capita in occipitio, quorum vnum maſculi rotundum, alterum fœminæ oblongum, ſpeciem diuerſi ſexus præſeferebant. Animal, vitula erat exenteratum, ac matre exciſum: occiſa quod diutius partum traheret, quã vt ſeruari poſſit. Superuixit, vt referebant, fœtus dimidio horæ, & erat in caupona Cancri. Translatum eſt eo anno regnum ad Cæſ. Filium, qui vxorem habet, multiſque incõmodis à Gallis acceptis, quia Vitulus laborem ſignificet, & ſexus, multorũ Ducum infelicitatem, & fugam, atque amiſſas abſque expugnatione Vrbes & arces, prouinciamque abſque prælio. Cardanus de Variet. libr. 14. cap. 75.

PRODIGIOSVS VITVLVS, DVObus corporibus, capitibus, caudis, ſed tribus tantum Oculis.

78.

BOnnæ inferioris Germaniæ, haud ignobilis, atque ad Rhenum quatuor miliaribus à Colonia Agrippina ſiti oppidi, decimo ſeptimo Calend. Iunii biceps vitulus, duobus ſcilicet corporibus, capitibus, caudis ſed tribus tantum oculis natus eſt: Lycoſth. ſub anno 1552.

VITVLVS BICORPOR NATVS.

DEcemb. 11. ann. 1572. prope Amſterodamum natus eſt in villa quadam Vitulus biceps, gemino dorſo, & octo pedibus, nec diu ſupervixit L. Surius Commen. rerum in orbe geſt.

VITVLVS PVRPVREA CORONA in latere natus.

DE Vitulo in ea villa, in qua Aurelianus Imp. natus eſt patre paupere, candore eximio, ſed in latere purpureis maculis depicta corona edito, vide Sabell. l. 1. c. 4.

VITVLVS CIRCA COLLVM ET ANteriores pedes collari inſignitus.

IN Marchia veteri, paucis ab hinc annis, vitulus in lucem prolatus, circa colli regionem, nec non anteriores pedes collari inſignitus. Andr. Angelus lib. de monſtris. c. 11. lib. 2.

VITVLVS PRIORIBVS DVOBVS pedibus deſtitutus.

79.



ANno 1556. prid. non. Ian. in Germaniæ pago quodam Epiſcopatus Dilingenſis, quem patria lingua Oberhauuſen vocant, Vitulus ex vacca, duobus tantum poſterioribus pedibus natus eſt, tantæ tamen velocitatis, vt corpore erecto currens, vitulos omnes facile ſuperaret. Lycoſth.

VITV-

VITVLVS SEXTIPES, CVI E latere maſſa carnis dependebat.

80.

IN Thuringiæ vico vitulus natus eſt ſextipes, maſſam carnis è latere dependentem geſtans. An. Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo. Lycoſth. Idem.

VITVLVS SEPTEM PEDIBVS, duobus capitibus caninis.

81.



ANno Domini 1269. Caliſſæ intra octauum diem natalis Christi natus eſt vitulus cum duobus caninis capitibus atque dentibus, ſeptem pedibus vitulinis, minus vero ad caudam ſitum erat.

Ab eius cadauere canes atque volucres abhorruere. Lycoſth.

MONSTRVM VITVLI ADMIrandum.

ANno Domini 1556. 3. Martii in oppido Bergerdoff, monſtrum natum eſt, aliqua ratione Vitulum referens. Sextipes erat, gemino capite, vno podice, diſiuncta autem erant corpora in longitudine, quorum vnum Orientem, aliud vero Occidentem ſpectare videbatur. Tres pedes huic, tres alteri inhærebant. Lycoſth. de prodig. & oſt.

ALIA PRODIGIOSA VITVLI conformatio.

AD oppidum Bitterfeld Vitulus in agro repertus, oculis, naribus & auribus humanis, vertice tōſo, & miniato, rictu & pectore vitulino, crurib. anterioribus vitulinis, poſterioribus humanis & breuibus admodum, ſed vtriſque deſinentibus partim in vngulas vitulinas, partim in humanos digitos, qui vngulis ſuberant & ſeparatim propendebant. Caſparus Peucerus.

VITVLOMONACHVS.

82.

VItulomonachus monſtrum terribile, natum Walterſodorfi vno à Fribergo lapide, pago ditionis Cellenſis, villa ruſtici, cognomento Stecheri, Lycoſth. an. Virginis 1523.

HISTO-

HISTORIA MEMORABILIS *Vituli cum alterius Sceleto excluſi.*

83.



VAcca partus difficultate impedita, cum fœtum conceptum parere minime poſſet, nihil grauius paſſa, poſt tem ·us aliquod rurſum cõcepit, & exacto tempore Vitulum viuum & ſceleton prioris Vituli, edidit. Mirum ſane potuiſſe eiuſmodi corruptionem vaccam perferre, & rurſum oſſibus prioris Vituli retentis, concipere nihilominus. Hæc oſſa vidi apud Generoſam Dominam de Rappoltzſtein in cuius oppido hæc acciderunt. Hanc hiſtoriam à C L. V. Felice Platero mihi communicatã ſubiicere placuit. Bauhinus in append. ad Rouſſetum.

ASINVS TRIBVS PEDIBVS.

Anno mundi 3794. Calatiæ aſinus tripes natus. Lycoſt. Chron.

M V-

MVLO-VITVLVS.

NOs Ferrariæ vidimus aliquos forma muli, capite vitulino, quibus cornuum loco duo inerant tubercula, indefeſſæ & indomitæ ferociæ, coloris nigri, oculis taurinis, eo ſpectaculo mirum in modum delectabamur. Audiuimus in aliquibus Galliȩ partibus vulgares eſſe, etſi per Galliam pertranſiens non viderim. Porta M.N.l.1.c.9.

MVLVS TRIPES.

ANno mundi 3784. Mulus tripes Reate natus. Lycoſth. Chron. Idem an. M. 3804. ibid. factum.

L. Æmilio Paulo, Gn. Bebio Tamphilo Coſſ. Mulus tripes Reate natus. I. Obſequens de prodi.

LVPVS CANEM PEPERIT.

ROmæ è lupo canem generatum vidi I. B. Porta magn. naturalis libr. 2. cap. 6.

CAPRA GERENS CORNV VNVM *ex latere.*

84.

84



85



IN Germania à circulatore quodam lucri gratia, capra circumducta eſt tria habens cornua, quorum duo ſuo quidem loco erant, tertium vero ex latere aut ventre potius eminebat. Chronic. Lycoſthen. anno Domini 1555.

SVS CAPITE, FACIE, ANTE- *rioribus pedibus, & omoplatis hominem referens.*

ANn. Domini 1564. Bruxellæ in ædibus Ioeſt Dictzpeert, vico Warmoesbroectz ſus ſex peperit nefrendes, quorum primus monſtrum erat, capite, facie, anterioribuſque pedibus, & omoplatis hominem referens,

rens,reliquo toto corpore nefrendem:nam & genitalia fœminæ ſuis habebat,cæterorum more ſuilla vbera ſugebat. Sed ſecundo ſui ortus die à plebe monſtri diritate incitata cum matre confoſſus eſt. Pareus operum ſuor.lib. 24.

PORCVS HVMANO CAPITE *in Cypro natus.*

85.

DIe 12.menſis Decembris,anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſexageſimo octauo,allatum & oppoſitum fuit monſtrum tale, quale figura oſtendit.Erat namque totum corpus veri porci,nudum & ſine pilis:caput effigiem humanam habebat:à fronte criſta quædam illi dependebat,vti galli Indici habent,quæ criſta illi partem oculorum & naſum tegebat:aures hominis habebat. Hoc monſtrum ibi prope Nicoſiã inuentum fuit,natum ex porca cum quatuor aliis porcellis,qui omnino ſimiles erant matri. Ex charta Venetiis excuſa cum monſtri huius Icone gallica lingua publicata anno 1569.

PORCÆ FOETVS HVMANA *facie inſignis.*

POrca enixa fœtum humana facie inſignem. Vide Poly.Virgilii Anglicæ hiſt. lib. 11.

Circa finem Henrici tertii Romanorum Imperatoris porca enixa eſt porcellum humano capite.Lycoſt.an.Dom. 1055.

Sus fœta porcellum humana facie enixa eſt.Idem An 110.

Item porca enixa fœtum humana facie edidit. Anno 1011.Idem.

Anno quo Philippus Rex Francorum, & Anshelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus obierunt,in Parochia Legienſi porca enixa eſt porcellum faciem hominis habentem.Lycoſth.

PORCVS SEX PEDIBVS ANSE- *rinis ſimilibus.*

IN pago Sugenheim Argentinenſis Epiſcopatus ann.d.1496.porcus ſex pedibus anſerinis fere ſimilibus natus eſt.Lycoſth.prodig.

POR-

PORCOSACERDOS.

SCimus etiam natum Porcoſacerdotem tertio decimo anno poſt, Hali in Saxonia, ipſo die Paſchatis. Lycoſth. in ſuis Chron.

PORCI MONSTROSI HISTORIA.

86.



ANno dom. *1496.* In Suntgoia fertiliſſima Germaniæ Prouincia, in pago Laſer, porcus vno capite, quatuor auribus, duobus oculis ac liuguis, octo pedibus, corpore à capite ad vmbilicum vſque coniuncto, ad poſteriores partes vero ſeparato natus eſt. Lycoſth. de prodig.

NEFRENDIS MONSTROSI *exemplum.*

ANno domini 1572. poſtera à Paſchatis die Metis in Lotharingia, in hoſpitio, cui S. Spiritus imago pro inſigni eſt, ſus nefrendem peperit

octonis cruribus, quaternis auribus, & capite canino proditum. Poſteriora corporum à ventre deorſum tanquam gemellorum diſtincta erant, anteriora ſurſum vnita, duas in ore linguas habebat cum dentibus quaternis in ſuperioris maxillæ totidemque in inferioribus lateribus. Haud ſatis expreſſa erat ſexus diſtinctio, ita vt maſne an fœmina id mõſtrum eſſet, dignoſcere nemo poſſet. Vnica enim ſub cauda rima; ſingula quæque corporum poſteriora fiſſa & aperta erant, eius vt hic appictâ eſt monſtri effigiem miſit ad me Borgeſius Med. Metenſis clariſſimus. A. Parcus operum ſuor. lib. 24. c. 2. p. 741. vbi loci conſule Eiconem.

ARIETI PRÆCORDIA ET INTEſtina geminata.

REferentem nõ ſemel audiui Andr. Matthęum ſumma fide, ſummaq; auctoritate virum, allatum ſibi à Coco ſuo, in oppido ſuo Bitonto agenti, Arietem exenteratũ, cui & præcordia & inteſtina omnia eſſent geminata, cor vero vnum ineſſet tãtum. Io. Iov. Pontanus de reb. cœleſtibus lib. 10. c. 6. p. 293.

Pontanus teſtem citat, qui affirmarit, allatum ſibi arietem exenteratum, qui præcordia, & inteſtina geminata habuerit, cor vnicum. Peucerus Teratoſc. p. 440. fac. verſa.

AGNVS CAPITE MONSTROSVS.

87.

ANno domini 1555. Halberſtadii 18. Febr. accidit, vt agnus natus eſſet, prorſus rotundo capite, tribus oculis, trigemino ore, gemino naſo, auribus in tergo pendulis inſtar caninarum; ſed quod maxime prodigii loco habendum eſt, in tertio ore magnum oculum habuit, maiorem aliis, ibiq; linguam prolixam exeruit: vixit vnum diem continuo clamore. I. Fincelius de miraculis noſtri temporis.

AGNVS SVILLO CAPITE.

FRuſinonæ (anno m. 3766.) agnus cum ſuillo cap. natus. Liuius dec. 4. lib. 1.

AGNVS BICEPS.

ANno Mundi 3768. Sueſſæ agnus cum duobus capitibus natus. Lycoſth. Chronic.

Anno

Anno m.3870. Agnus biceps natus. Idem.

AGNVS BICEPS, QVINQVE pedibus.

ANno mundi 3769. Aſculo agnus biceps cum quinque pedibus natus. Lycoſt. ex Liuio.

AGNVS TRICEPS.

ANno dom. 1577. in pago Blandio tribus à Meloduna miliaribus natus eſt agnus triceps, medium caput reliquis craſſius erat. Balante vno reliqua pariter balabant capita. Id monſtrum ſibi viſum affirmauit Ioa. Bellangerius Chirurgus Melodunenſis, ſculpendumque, & cum monſtro humano, quod capite ranali ante deſcripſimus excudendum curauit. Pareus op. ſuor. lib 24. p. 753. & 754.

DVO AGNI EQVINIS PEDIbus, alter ſimiæ capite.

C. Mario & Q. Luctatio Coſſ. (Anno mundi 3861.) In Lucanis duo agni equinis pedibus nati, alter ſiminino capite. Obſequens.

AGNVS MONSTROSVS.

ANno domini 1573. in Sezanæ vrbis ſuburbio, loco qui dicitur Campus Benedictus, in ædibus Io. Poleti, ſalis menſoris, natus eſt agnus, editus in lucem mox interiit, nec vitæ niſi exiguo motu ſigna vlla dedit, ſub auribus oſculum ipſi viſebatur, Lampetræ oſculo ſimile. Pareus li. 24. operum ſuor. apud quem Eiconem conſule.

OVIS LEONEM PARIENS.

LVdov. Celleius ſcribit ſe legiſſe in probato quodam auctore, Oue aliquando natum Leonem, diſparis planæ & inimicæ conditionis ac naturæ animal. Pareus oper. ſuor. l. 24. p. 753.

LEPVS QVATVOR AVRIBVS,

cuius dorſo alii quatuor leporini pedes eminebant.

88.

88



89



ANno Domini 1533. Epiſcopizellæ Turganiæ apud Heluetios oppidi, dum exenteraretur lepus iam grauidus, inuentus eſt lepuſculus vno capite ac corpore, ſed quatuor auribus, & octo pedibus, quorum quatuor ſuo loco erant, ſed reliqui quatuor in dorſo eminentes, alium quaſi leporem referebant. Viſus eſt à multis ibi, ac deinde Tigurum miraculi loco ad amicos miſſus eſt. Lycoſth. Chron.

VVLPES HVMANIS PEDIBVS.

ANimalia quorum pars anterior vulpem, cephos vocant, poſterior vero ſimiam repræſentat, niſi quod pedes effingant humanos, aures

autem

autem noctuæ,& intra conſuetam aluum,aliam habent inſtar crumenæ, in qua catuli deliteſcunt,donec vltro prodire in lucem queant, & abſque tutela parentis cibum capere,&c. De quibus Ariſt. Philoponus, Ælianus, Plinius, Solinus, Alb. M. Conradus Geſſnerus, Lycoſth.

CANIS VNO TESTICVLO ET *ſine oculis natus.*

VIdi canem, qui cum vno tamen teſte fuit genitus, ita & ſine oculis. Trincauella de rat. curand. partic. corporis aff. lib. 11. c. 25

CATELLVS MONOCEPHALOS *bicorpor.*

89.

ANno 1552. Menſe Februario in domo Ludouici Dheitæi felis domeſtica inter reliquos fœtus numeroſos, enixa eſt catellum vivum, monocephalon, bicorporem, octipedem, vtriuſque ſexus, corporibus inuicem complexis,& in vnum caput, vt dixi coeuntibus, ſic vt ſeſe mutuo oſculantium ſpeciem referrent, quod ſane plerique ſalutis, copiæ, & concordiæ præſagium eſſe crediderunt. Lycoſth. opere Chronolog.

CATI

CATI TRES CIRCA VENTREM CONnati editi ſunt.

90.

90





LYcoſthenes in opere ſuo Chronologico ſic habet: Catus Baſileæ mihi domeſticus,cum quatuor vno partu catulos edidiſſet,poſtquã poſt octiduum in profluentem proiicere mandaſſem,inuenit ancilla vnum ex his pedibus horrendis,ac quaſi in ſpiram variis reflexibus conuerſis. Poſt biennium autem tres catulos vno partu edidit circa ventrem,non vmbilici vinculo coniunctos, ſed reuera in matris ventre vnitos, quos tamen partus dolore enecatos inuenimus.Fœcundiſſimum fuit animal,ſæpenumero vno anno ter grauidum, nunc quinque, aliquando ſex parturiens, ſed poſtquam ætatis annum octavum attigiſſet,plerumque monſtra protulit,ac etiam interdum contra naturam matrum,editos catulos,ad currendum aptos,nobis videntibus deuorauit.Ob quam potiſſimum crudelitatem demum in Rheno à familia ſubmerſus eſt.

FELIS TRIPES.

Livius narrat natum Catum tribus pedibus, citante B. Porta mag. nat. l. 2. c. 17.

ANSERIS MONSTROSI HISTORIA 91.



IN pago quodam, qui ad Argentinenſes ſpectat Epiſcopatum, cui Sugenheim nomen eſt, duobus ab Argentina milliaribus, anſer monſtroſæ plane formæ in ouo inuentus eſt, duobus capitibus, totidemq; linguis, collo vnico, quatuor pedibus, quorum duo eum locum occupabant, vbi in aliis alæ emergunt. Reliqui vero circa podicem (vbi duplex etiam ad eiicienda naturæ excrementa exitus erat) apparebant, alæ vero duę circa collum expanſæ. Lycoſt. an. dom. 1496.

ANSER BICEPS, BICORPOR, *quaternis alis, &c.*

VIdit Albertus Anſerem bicorporem, duobus in dorſo connexis corporibus, bicipitem, alis quaternis, ac totidem pedibus, quæ iuerit, in quamcunque partem conuertebatur. Citatur à M. Weinr. p. 58. de monſtr. ortu.

ANAS QVADRVPES MONſtroſa.

ANas quadrupes viſa eſt parua, lato roſtro, tenui, & priore parte nigra, extrema flaua, capite nigro, oculis cinereis, nigro circulo collum ambiente, nigris alis, tergo & cauda, pedibus flauis, & inter ſe non procul diſtantibus, quæ Torgæ aſſeruatur. B. Porta magn. naturalis lib. 2 c. 17.

ANAS VNO CRVRE CARENS.

ALlatæ ſunt anaticulæ, quarum vna, quæ crus alterum, nullis extantibus veſtigiis certo nunquam videretur habuiſſe. &c. Scalig. libr. 1. de planis Ariſtot.

GALLOPAVVS.

GAllopauum dico, ſiue indicam gallinam, qui videtur ex gallo & pauone compoſitus, etſi potius pauonis, quam gallinacei conſtet forma. Habet pauonis magnitudinem & corpus, gallinacei criſtam & ſubmētum, habet cum pauonibus communem vocem, caudæ explicationem, colorumque varietatem: carnis ſapor ex vtroque compoſitus, ob id non diſſimilis admodum miſtio vtriuſque generis. Sed quum ſimul domi cicuratæ eſſent, gallopavus fœmina, & pavo maſculus, nata ſunt oua fœcunda, ex quibus pulli omnium pulcherrimi excluſi ſunt, pennas habentes nitidiſſimo colore fulgentes, qui cum pauonibus denuo ſe commiſcentes, totus fere pauoninus fuit partus. B. Porta M. N. l. 2. c. 14.

GALLINACEI GEMELLI, VNICO *capite, corpore connati.*

COlmariæ anno domini 1538. 18. Apr. in domo Thomæ Eberlini, gallina aſſidue excubandis ovis intenta, producendiſque laborans pulliſ inter-

inter reliquos talem quoque monſtroſum excluſit, vnico quidem capite ſed quatuor pedibus, quatuor alis, corpore ex duobus conflato, qui circa pectus iungebantur, duplicique erant naturæ exitu. Auctor.

PVLLI GALLINÆ DVPLICES

92.

Anno Domini 1551. In Gallia duplices ex Gallina pulli inuenti ſunt, quatuor videlicet alis, totidemque pedibus, ſed capite vnico. Chron. Lycoſthen.

GALLINÆ PVLLVS TERnis pedibus.

Anno Domini 1554. Baſileæ apud nos in Cinerum ſuburbio, apud fabrum ex gallina pullum ternis pedibus, ac miræ in currendo velocitatis, vidimus. Lycoſth. Chron. eiuſd. anni.

PVLLVS GALLINÆ QVATVOR pedibus.

95.





BAſileæ Rauracorum gallinæ pullum quatuor pedibus Conradus Lycoſth.vidit.

GALLINÆ PEDIBVS ANSErinis.

94.

AVguſtæ Rauracorum inter Baſileam ac Reinfeldam oppida, gallinæ anſerum pedibus inuentæ ſunt. Lycoſthe. opere ſuo Chronologico de prodigiis & oſtentis.

EX

EX OVO VNICO MAS ET FOEmina iunctis corporibus nata.

PRæfecunda oua reperias. Nam ex vnico ouo & marem & fœminam, combinatis tamen corporibus, excluſos nuper vidimus: vbi tamen facilis comparet ratio. Quæ ſunt duo vitelli in vnica teſta, propter duorum ſpermatum aggregationem, ſine alicuius parietis diſtinctione enati. Nam ſi pariete vel corio diuidantur, duo pulli, ſed corporibus inuicem ſeparatis emergunt. Pictorius ſerm. Conuiu. l. 4. p. 84.

AVIS QVADRICEPS.

ÆLianus refert ſub quodam Rege quadricipitem avem viſam fuiſſe. Citante B. Porta magn. natural. s l. 2. c. 17.

PERDIX VVLTVRE MAIOR.

POrus Indorum Rex Auguſto dona miſit, viperas &c. perdicem vulturẽ maiorem. Strabo l. 15.

BVFO CAVDATVS.

96.

IN villa quadam Thyringica, ad Vnſtrum, à muliere bufo natus eſt caudatus. Lycoſth.

VIPERA BICEPS, TRISVLca lingua.

VIſa eſt Neapoli, dum hæc ſcriberem, biceps vipera, & viua, quæ vtrũque caput mouebat, & triſulcas linguas. Porta mag. naturalis libr. 2. cap. 17.

SERPENS TRICEPS.

ASſeritur Montibus Pyxaneis (forte Pyrenæis, vt legit Geſn.) ſerpens interfectus fuiſſe triceps, in cuius ventre miles invenit filios ſuos vivoratos, os ſpinæ cuius oſtenditur in Areolio, groſſitudinis capitis arietis, Arnoldus.

SERPENTES IMMENSI.

SErpentes in immenſam magnitudinem creſcere teſtantur eventus, cũ M. Attilius Regul. ad Bagradam fluuium, tormentis atq; baliſtis in Africa vnum longitudinis pedum 120. occiderit. Card. de ſubtil. l. 9. p. 633.

TESTVDO TRIVM CVBItorum.

POrus Indorum Rex Auguſto dona miſit, viperas ingentes, ſerpentem 10. cubitorum, teſtudinem trium cubitorum, &c. Strabo l. 15.

LACERTÆ CETACEÆ MAGNItudinis.

INterdum virides Lacerti in cetaceam magnit. excreſcunt, qualem Lutetiæ advectum vidimus, Bodinus l. 3 p. 309. T. N.

LACERI-

LACERTÆ BINIS ET TRI-nis caudis.

VIdi multas lacertas binas ternaſve caudas habentes,quas vulgus inſulſiſſime ludo fauorabiles dicit,nec alio modo natas poſſibile eſt eſſe,niſi ex dilecithis ouis.Porta magn.naturalis l.2.c.17.

CROCODILVS 20. CVBITOS longus.

VIdimus ipſi Crocodilum 20.cubitorum.Bodinus pag 394.Theatri nat.

MONSTRVM MARINVM.

INſuper conſtat allatum eſſe Ferrariam imaginem marini monſtri nuper in littore Dalmatico inuenti. Corpore erat humano vmbilicotenus.Deinceps piſcis ita,vt inferior pars,quæ in piſcem deſinebat, eſſet bifurcata: barba erat profuſa duobus tanquam cornibus ſuper auriculas eminentibus,groſſioribus mammis,ore lato,manibus tamen quatuor digitos habentibus,à manibus vſque ad aſcellam atque ad imum ventrem alæ piſcium protendebantur,quibus natabat,captum hoc pacto ferebant.Erant complures fœminæ iuxta littus,lauantes lineos pannos, ad vnam earum accedens piſcis,vt aiunt cibi cauſa mulierem manibus apprehendens ad ſe trahere conatus eſt, illa reluctans,& erat aqua modica,magno clamore auxilium cæterarum implorauit. Accurrentibus quæque numero monſtrum (neque enim in aquam regredi poterat) fuſtibus ac lapidibus perimunt.Erat corporis magnitudo paulo longior ampliorq; forma hominis. Poggius.

CAPVT BALENÆ STVPENDÆ MAGNItudinis.

ANno 1554.Genuæ caput balenæ extractum è mari ſtupendæ magnitudinis, vt à faucium imo ad os decem nouem paſſus numerarētur. Card.l.14.c.74.de Variet.

CYPRINVS HERMAPHRODITVS.

CYprinum captum hermaphroditum,cum notis vtriuſque ſexus geniture & ouorum Geſn.ſcribit.Citante M. Weinr.p.59. de mōſtris.

MONA-

MONACHOPISCIS.

IN mari Balthico non procul ab Haffnia, piſcem humana facie, capite circumtonſo inſtar coronæ Monachorum, corpore ſquamis cucullæ ſpecie obſitis, captum an. 50. affirmant. Peucerus Teratoſc. p. 439. facie aduerſa.

CASVS QVIDAM MONSTROSI, QVI CIRCA ANIMALIA, EORVMQVE PARTES & membra contigere.

VNICVS REN IN BOVE INuentus.

ANno ſal. hum. 1562. vacca exenterata vnicum tantum renem in medio ſpinæ exactè ſitum, eundemque maximum habebat. B. Ronſeius. Epiſt. 4. p. 13.

OVVM IN BOVIS VENTRIculo inveniri.

QVædam ſunt lapidibus ſimilia, quæ in animalibus inueniuntur, nec tamen ſunt lapides, vt ouum bouis. Hoc ſane in ventriculo illius inuenitur, magnitudine anſerini, ferrugineo colore, leuiſſimum ac leniſſimum. Cogitur ex cibi excrementis, & motu rotunditatem acquirit, pituita cogente. Vnde ſi frangatur, ex pilis conſtare videtur: durus eſt pro leuitate tanta. Ita natura ludit, vt etiam quandoque boues oua pariant. Cardanus de ſubtilit. l. 7. p. 485.

VACCÆ PROCERÆ.

IN Epiro, Ariſtotelis æuo, Vaccæ natiuæ adeo erant proceræ, vt à ſtantibus mulgerētur, adeoque lactis amphoram replerēt. Albertus in Phryſia nulla cura, ſed pinguium paſcuorum cauſa ad equorum magnitudinē excreſcere ſcribit.

VESICA DISRVPTA, IN *Vacca.*

IN vacca parentis mei, quæ diu antequam mactabatur, in glacie gliſcentibus pedibus, diſtentiſque cruribus, in ventrem ceciderat, & ab eo tẽpore inuoluntarie minxerat, veſicam confractam fuiſſe, & calculo adnato maximo, pugni magnitudine, denuo obliteratam, inuenimus. Platerus de Obſeruat. propriis.

MVLÆ PEPERERVNT.

L. Scipione & C. Lælio Coſſ. Mula Reate peperit. I. Obſequens de prodig.

C. Valerio & M. Herennio Coſſ. in Apulia mula peperit. Idem Obſequens.

L. Paulo, & Gaio Marcello Coſſ. Mula pariens, diſcordiam ciuium, mutationem legum, turpes matronarum partus ſignificauit, Idem.

M. Lepido, Munatio Planco Coſſ. Mula Romæ ad duodecim portas peperit Idem.

Pro oſtento habetur ſi mula parit, quod hoc anno, cũ hæc ſcriberemus, Iulio Pontif. 2. in bello contra Ferrarienſes & Gallor. Regẽ Ludouicũ, mulam peperiſſe Ferrariæ dicunt. Alex. Bened. lib. 25. cap. 10. p. 467. practicæ.

LAPIS LITHARGILOS IN VENtriculo lupi.

QVod in aliis beſtiis fieri poſſe, lapis lithargilos in ventriculo lupi inventus & à me aſſeruatus vndecim vncias pendens, gyris & plicis intortus ſatis oſtendit, ex argilla quam inediæ tempore fame & rabie impulſi, vorant ſine dubio genitus. Felix Platerus de Obſeruat. prop.

VERVECVM CAVDÆ IMmenſi ponderis.

IO. Leo vidiſſe ſe refert in Afroe Ægypti ciuitate, vnam (caudam) librarum 80. quaſdam ad 150. creuiſſe referunt. Ad 15. aut 20. creuiſſe, vulgare eſt. Ego vnam vidi librarum circiter trium, vt æſtimatione aſſequi non experientia potui. &c. Cardan. de ſubtil. l. 10. p. 685.

SVS 580. LIBRAS PENDENS.

IN noſtra regione ſues magis ouibus creſcunt, quod ſint calidiores, adeo vt vnus ad D L X X X, libras peruenerit, dumque veheretur in curru cum aliis

aliis tribus,ſuffocatus eſt. Dum vero ſuſpenſus & adhuc calidus aperiretur,axungia proſiluit,& lanionem in vultu aſpergens,repente ob impetũ proſtrauit in terram:vnde tum ictu,tum timore ægrotauit plus quam per duos menſes.Cardanus de Variet.l.7.c.31.

CANIS A TESTVDINIS IN-tentione miſere eiulans.

IN Clariſſ.Med.Laur.Scholzii cane non ſemel admirati ſumus, miſere gemente,& cum vlulatu,quaſi qui cruciatus ſentiunt,& vapulant grauiter,ſi quando in teſtudine nerui fidesque intenduntur tantum ad concentum. At idem cum numeroſe ſonant,non tacet tantum,ſed geſtit etiam quod eidem ad campanarum pulſus vehementiores accidit.Weinrichius Comm.de monſtris p.65.fac.auerſa.

CANIS MONSTROSA FOE-cunditas.

CAnem vidi, quæ ſimul vndeviginti catulos peperit,& alio partu octodecim,tertio tredecim:erat autem nigra,corpore magno,ex illorum genere,qui maſtini dicuntur. Albertus.

LIGVLÆ IN CANIBVS, PISCIBVS, Cancris.

ITa canes longiſſimas quoque ligulas excernunt.In porcis quoque lanii frequenter deprælendunt.In piſcibus ſæpe inveniũtur.In cancris certo tempore obſeruantur.In halecibus quoque ante annos aliquot paſſim inuentæ,ac ſi ſerpentibus ſcaterẽt,cum magno mercatorum damno proſcriptæ fuerunt.Felix Platerus de Obſerua. propriis.

VESICVLAS AQVA TVRGEN-tes,plerisq; omnibus partibus agnatas in ſimia viſas.

SImia quæ diſſecabatur laborabat inflammatione ſplenis,veſicæ, fellis, pulmonis,& aliarum quarundam partium,in quibus veſicas innumeras aqua plenas,reperimus,eæ vero quæ in veſica fellis,erant flauiores.Res ſane monſtroſa.Caſp.Wolphius de Obſerv. propriis.

MVRES IN VTERO PRÆgnantes.

MVres prægnantes in vtero parentis repertas fuiſſe apud Senas auctor eſt Ariſtoteles. Mizuldus memorab. Cent. 9. numero 42.

LAPILLOS AB AVIBVS CONfici.

DVas aves lapillos quoq; cõficere (omiſſa Struthionis de ferri digeſtione incerta hiſtoria) ex eo liquet, ꝙ eos cũ indies deglutiãt, ipſorũq; ventriculi ſemper iis redundantes, cum exenterantur, inueniantur, tamen nullos excernant, nec in ipſorum excrementis vllis deprehẽdantur. Quod & globulus precarius ex onyche in gallinæ ſtomacho inuentus & à me aſſeruatus, cuius media pars abſumpta, foramenque quo perforatus erat, collapſum, occluſumque erat, ſimul comprobat. Felix Platerus de obſerv. Parenti miſſis.

IECVR ANSERINVM MAGNI PONderis.

VIdimus iecur anſerinum vncias 48. pondere exceſſiſſe, ganeæ Iudeorum ſuavi guſtu. Alex. Bened. l. 23. p. 433. pract.


COR GALLINÆ APOSTEMATIbus ſteathomatibus refertum, quibus ipſum quoq; hepar affectum erat.

EGo vidi cor Gallinæ ab Iſabella Bononienſi vxore quõdam Mancini mactatæ, vt ex ipſa in die accepti pharmaci reficeretur, quę criſtam rubeam, & oua etſi pauca in vtero geſtabat. Quinque panis vel ſteathomatibus apoſtematibus refertum, & non tãtum cor, ſed hepar ſimilibus panis erat repletum, & bene viuebat, quæ Dominus Ventura Venturinus Piſanus egregius phyſicus & anatomicus; & Dominus Angelus Antoninus Elpidianus Chirurgus non ſine magna admiratione videre. Anto. Portus Firmanus l. 1. c. 12. p. 13. de peſte, in 4. Venetiis excuſ.

ICON EPATIS GRANDIORIS
in tabida Gallina adinuenti.

97.

97



98



VIr Clariſſimus Ioannes Fridericus Trauelmannus, Electoris Moguntini Medicus, ſuis litteris ad Ioannem Schenckium Medicum, Parẽtem meum, ſic habet: Dum anno octogeſimo primo ad fratrem Archipræſulis moderni proficiſcerer, à nobili quodam, Ioanne Hugone à Schẽbergk, nepote Principis ex fratre, oblatum fuit mihi epar Gallinæ tabidæ, cuius Eiconem tibi tranſmitto, pendens vncias quinque cum dimidia.

Vnde contabuerit, tibi cogitandum relinquo, vel quia nimis calidum, vel quod ob magnitudinem omne alimentum in ſubſtantiam hepatis tranſierit, vnde & hectica vel ſuffocatio potuit oriri: non tamen huius occaſione periit, ſed deſtinata in vſum ægri, ob marcorem reiecta fuit, epate reſeruato.

MONSTRVM IN OVO DEPRÆHENſum humani capitis effigie cum dependentibus anguium ſpiris.

98.

ANno poſt natum Chriſtum milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, decimo quinto menſis Martii, in quadam villa Burgundiæ, Baucheron dicta, præſens monſtroſum ouum adinuentum eſt, quo perfracto in mediis oui viſceribus apparuit caput humanum, quod ſerpentino capillitio horribile viſum eſt, cui etiam è mento barbæ loco tres angues ſeu ſerpenticuli penduli pronatique ſpectabantur. Cuius etiam meminit Pareus in opere Chirurgico.

OVVM PVRPVRSVM.

ANtonius Geta, qua hora Mediolani natus eſt, eodem momento gallinam ouum in aula purpureum peperiſſe, nunciatum eſt. Spartian⁹. Vide caput de Agno eiuſdem natali vellere purpureo nati.

OVVM PORTENTOSVM.

HAbent & oua miracula ſua. Vidiſſe ſe refert Albertus Ouum cũ duplici teſta, atque inter primam & ſecundam ſolum album continebatur, ſimiliter intra primum corticem ſolum album inerat: nihil autẽ mirum natura ſic ludẽte: id ſolum difficile, quod ſub molli durum cogatur:

tur: veruntamen exiſtimandum eſt, vtramque tunicam ſimul factam, vbi exierit, ovum indureſcere; tenacior autem pars, ex qua vitellus conſici ſolet, in interiorem tunicam tranſierat: hæc atque ſimilia quandoque contingunt. Card. de Variet. libr. 7. capite 39.

* *
*

FINIS.

[library stamp]